DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA
INAUGURALIS,

DE

VARIOLIS AC MORBILLIS IISQUE INOCULANDIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

DAVIDIS RUHNKENII,
HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ IN ACAD.
LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, *&*
Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,

Publico Solemnique ERUDITORUM *Examini ſubmittit*

EDUARDUS SPRY,
ANGLO-DAMNONIENSIS,
ARTIUM LIBERALIUM MAGISTER, ATQUE PHILOSOPHIÆ DOCTOR.

Ad diem 20. *Jan.* MDCCLXVIII. *ab hora* X. *ad* XII. *in Auditorio Academiæ majori.*

Ασκειν περι τα νυσηματα δυο. ωφελεειν, η μη βλαπτειν.
HIPP. Epid. I.

Adgrediar non tam perficiendi ſpe, quam experiendi voluntate.
CIC. Orat. ad Brut.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM ET JOANNEM LUCHTMANS, 1768.

Non fingendum, *aut excogitandum*, *ſed inveniendum*, *quid* natura *faciat*, *aut ferat*.

BACON.

Qui ſtudet optatam curſu *contingere* metam,
Multa tulit, *fecitque*.

HORAT. *de Arte Poët*.

Recte *dixit* VENUSINUS.

Quod ſi tam GRÆCIS *novitas inviſa fuiſſet*
Quam NOBIS, *quid nunc eſſet vetus*, *aut quid haberet*,
Quod legeret, *tereretque viritim publicus uſus?*

Sed rectius *hoc*, CARUS *de R. N. lib.* II.

Deſine, inquit NOVITATE *exterritus ipſa*
Exſpuere ex animo RATIONEM, *ſed magis acri*
JUDICIO *perpende*, *&* *ſi tibi vera videtur*
Dede manus, *aut ſi falſa eſt*, *accingere* contra.

Ο βιος βραχυς. η δε τεχνη μακρη. ο δε καιρος οξυς, η δε πειρα σφαλερη. η δε κρισις χαλεπη.

HIPP. Lib. I. Aph. 1.

אלוהים

TER OPTIMO, MAXIMO;

ΠΑΝΔΥΝΑΤΩ.

Chariſsimæ Patriæ.

SACRÆ MAJESTATI,

MAGNÆ BRITANNIÆ

REGI

AUGUSTISSIMO.

VIRIS

PLURIMUM VENERANDIS,

SUMMA DOCTRINA ET ERUDITIONE

UBIQUE TERRARUM ORBIS CONSPICUIS,

ET

MAXIMA CUM FAMA IN RE MEDICA CELEBRATISSIMIS,

THOM. LAWRENCE,

PRÆSIDI.

ANT. ASKEW,
NICH. MUNCKLEY,
NOAH. THOMAS,
THOM. BROOKE,

CENSORIBUS.

GUIL. BROWNE, EQUITI AURATO,
THOM. REEVE,
AMBROS. DAWSON,
GUIL. BATTIE,
JAC. HAWLEY,
GUIL. HEBERDEN,
GUIL. PITCHAIRN,

ELECTORIBUS.

ANT. ASKEW,

SECRETAR.

ALIISQUE MEMBRIS COLLEGII MEDICORUM
INCLYTI LONDINENSIS

PRÆSTANTISSIMIS.

NEC

NEC NON

VIRIS

MUNERIS GRAVITATE

AC

ERUDITIONIS SPLENDORE INSIGNIBUS,
EXCELLENTISSIMIS, CELEBERRIMIS

ADRIANO VAN ROYEN,
M. D. EJUSDEM FACULTATIS, UT ET COLLEGII PRACTICI PROFESSORI, COLLEGII PHARMACEUTICI LEIDENSIS PRÆSIDI, NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ H. T. *DECANO.*

HIERONYMO DAVIDI GAUBIO,
M.D. HUJUSQUE ET CHEMIÆ AC COLLEGII PRACTICI PROFESSORI, CELSISS. BELGARUM GUBERNATORIS ARCHIATRO, *PROMOTORI* SUO ÆSTUMATISSIMO.

BERNARDO SIEGFRIED ALBINO,
M. D. ANATOMIÆ. MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ PEOFESSORI ORDINARIO, COLLEGII CHIRURGICI LEIDENSIS *PRÆSIDI.*

FRED. BERNARDO ALBINO,
ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRO, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ PROFESSORI ORDINARIO.

NEC NON

DAVIDI VAN ROYEN,
M. D. BOTANICES IN ACADEMIA LEIDENSI PROFESSORI.

JOH. DAVIDI HAHN,
ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRO, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, EJUSDEMQUE FACULTATIS, ET PHILOSOPHIÆ, ET CHEMIÆ ET BOTANICES IN ACADEMIA ULTRAJECTINA PROFESSORI.

VIRIS

VIRIS

AMPLISSIMIS, FAMIGERATISSIMIS,
AMICISSIMIS,

MEDICINÆ DOCTORIBUS

HUXHAM,
ANDREW,
GLASS,

PRAXIN MEDICAM APUD DAMNONIOS
FELICISSIME EXERCENTIBUS.

PORRO

CHIRURGIS NONNULLIS EXPERTISSIMIS

IN

DOMNONIENSI CORNUBIENSIQUE
COMITATIBUS

ARTEM CHIRURGICAM FAUSTISSIME EXCOLENTIBUS.

QUIN ET

EDWARDO SPRY,

PATRUM

OPTIMO, INDULGENTISSIMO.

AC TANDEM

FRATRIS DILECTISSIMI,
CHIRURGI,

(ου ΘΕΟΣ φιλει αποθνησκει ΝΕΟΣ)

MEMORIÆ

SACRUM.

LITTERÆ DEDICATORIÆ.

Temporibus fere ab ultimis Opera litteraria digniſſimis conſecrandi Mos obtinuit. Quibus igitur Opuſculum hoc levidenſe offeram? ſane non eſt, cur dubius hæream!

Primùm Reverentia ſumma, ſenſuque PROVIDENTIÆ profundiſſimo, perculſus, O. M. omnia DANTI. D. D. C. Q.

Deindè PATRIÆ dilectiſſimæ, ſalutiferis LIBERTATIS Legibus longe lateque celebratæ, quæ me primùm cum *Conſanguineis* meis ſuſtulit, jam inde ſuſtinuit, & poſtremò, volentibus Fatis, meos Cineres recipiat, id quod opto! exopto!

Pòſt PRINCIPI clementiſſimo, auguſtiſſimo, non ſolum POPULI ſui *Præſidio*, *Solamini*, *Deliciisque*, ſed etiam X$^{n\ae}$. FIDEI ſemper *Fautori*, ſalvoque *Cuſtodi.*

Porrò VIRIS admodùm eruditis *Scientiarum* Promotoribus, BRITANNIS, in medica *Provincia* SALUTIS Curatoribus, a quibus *in Collegio Medicorum Londinenſi* examinatus, &, qui Medicinæ Praxin exerceam, dignus judicatus fui.

Porrò quoque Illuſtribus ACADEMIÆ maximè inclytæ, quæ *Leidæ* eſt, PROFESSORIBUS ob *Patrocinium*, *Indulgentiam* & *Favorem*, quem prope ſingularem expertus ſum, hìc & *Pietatis* & *Devotionis Monumentum* ponere volui, debui.

Proximè MEDICIS non minùs *Moribus*, quàm *Ingeniis* & *Litteris* ſpectabilibus, rem medicam in *Civitatibus Viciniisque* ſuis lautiſſimè & humaniſſimè tractantibus, quibus ſingulis in rebus practicis diu notus atque Amicitiæ Fœderibus arctiſſimis firmiſſimè ſum junctus.

Tandèm CHIRURGIS inſignioribus ob *Integritatem Morum*, *Doctrinas*, & ob *Prudentiam*, quâ mala Corporis tractant, ut & ob *Manûs Dexteritatem*, quâ *Operationes* peragunt, quibus plerisque plurimùm debeo.

Tùm ad extremum PATRI, & FRATRIS MANIBUS, quorum *Modeſtiam* lædere, quum nefas ſit, totus ſileo.

PRO-

PROOEMIUM.

L. B. S. P. D.

Plures *jam anni nempe* XXV. *elpaſi ſunt*, *ex quo non ſolum in Theoria*, *ſed etiam rebus in practicis*, *me exercui*, *idque in artium* θεραπευτικων *modis valde latis. Claſſicis enim ſtudiis peractis*, *&* *in alma Academia Oxonienſi ad ſacræ* Θεολογιας *ſtudia deſtinatus*, *in mentem mihi venit*, *ad morbos ſanandos me applicare. Quoniam verò ſub* dominis Georgio Woollcombe PLYMUTHÆ, DOMNONIIS, Patri*que ejus* νυν εν αγιοις, *in artibus obſtetricia*, *atque chirurgica*, *&*, *ut ibi mos eſt*, *quoque medica*, *feliciſſimo cum ſucceſſu*, *multoque adplauſu ſe exercentibus*, *quinque annorum* Tyrocinium *rite poſui*, *ideo & hic* manibus defuncti & filio *adhuc*, *precor diutiſſime*, *florenti*, *quondàm*

dàm Præceptoribus *meis*, Fautoribus*que*, *a quibus prima* artis *ſalutaris fundamenta accepi*, *animo*, *maximo Gratitudinis ſenſu tacto*, *publice* gratias *perſolvo*, *habeoque maximas*. Tyrocynio *elapſo* LONDINUM *profectus ſum*, *ibique* Noſocomia *diverſa*, *præcipuè ſancti* Thomæ *atque* Guidonis (*anglicè* Guys) *quotidie tam cum* Medicis, *quàm cum* Chirurgis κλινικως *viſitavi*, *varios*, *eosque intricatiſſimos*, *morbos attentiſſimè obſervavi*, *inſpexi*. *Præterea quoque diverſas* Prælectiones *ut* phyſicas, medicas, anatomicas, *&* chemicas, *pluresque alias a* celeberrimis VIRIS *ibi habitas*, *frequentavi*. *Laboribus his* LONDINI *exantlatis* Academias patrias, exteras*que in* EUROPA *maxime inclytas ; nempè* Scoto-Britannicas, Hibernicam, Belgicas, Gallicas, Italicas *adii*. *Quibus Itineribus peractis*, *poſt Annos aliquot elapſos*, Patrios *ad* Lares *reverſus ſum*, *& res* Practicas, *tam in* Arte Obſtetricia *&* Chirurgica, *quàm* Medica Plymuthi Domnoniorum *tractavi*, *& quàm fauſto cum eventu me non decet dicere*. *Sub Initium Januarii* 1759. *in alma* Academia Aberdonenſi *per* Diploma Doctoratûs *in* Medicina Gradum *ritè & legitimè conſecutus ſum*. *Annis poſteà* XIV. *in* Praxi Medicinæ *atque* Chirurgiæ

com-

combinatâ exactis, *peregrinando* Academias *antè memoratas tam* Patrias *quàm* Externas *denuo reviſi*. *Annis abhinc quatuor iterùm reverſus* Medicam Praxin *tantùm* Cornubienſibus, Domnonienſibus, *feci*. *Nunc ultima Vice*, *ut credo*, *in* Terris exteris *peregrinans hanc* Muſarum Sedem *ſalutavi*. *Quoniam autem* Profeſſoribus Celeberrimæ Academiæ Illuſtribus, Doctiſſimis, Amiciſſimis*que placuit* Doctoris Gradum *mihi decernere*, Statutis Academicis *quàm lubentiſſime obtempero*, *eundemque in finem* Diſſertatiunculam *hanc de* Variolis *&* Morbillis, *iisque inoculandis*, *conſcriptam*, *publicæ* Eruditorum Diſquiſitioni *ſubmitto*. *Verumtamen*, *quum Anguſtia Temporis*, *quâ maxime premor*, *tam extenſum ac limatum*, *quàm optarem*, *aut in futuro editurus ſum*, *ſcriptum exarare vetet*, *ideo in hoc ac in aliis L. B. favorem ſpero*, *immo cum* OWENO *dico*.

Non cuivis Lectori Auditorique placebo;
Lector & Auditor non mihi quisque placet.

aut ſecundùm Poëtam

— — — — ſi quid noſti rectiùs iſtis
Candidus imperti, ſi non his utere mecum.

Operæ pretium me facturum eſſe ſpero, ſi de iis, quæ ad Praxin Medicinæ rationalem requiruntur agam, aut quid ſit Medicus, quæque eum conſtituant, paucis ante exponam, quam ad ipſam Diſſertationem tranſeam.

Medicus non ex θεωρια aut πραξι ſola ſit, ſed ex utriusque Combinatione, intimaque Connexione, inde enim judicium, quod morbis diris Levamen adferre valet, exſurgit. Requiſitum itaque boni Medici eſt non ſolum res φυσικας, ſed etiam artes, ſcientiasque varias μαθηματικας, μηχανικας, præſertim Anatomiam, Chemiam, Materiem medicam, Botanicem &c. callere, & in his non tantum, ut antea jam obſervamimus, θεωρητικως, ſed revera πρακτικως edoctum eſſe. Graviter igitur errant, qui ſibi perſuadent, ſufficere ad bonum Medicum, ſi modò Profeſſorum eximiorum Lectiones diligenter, & ſummâ Curâ, per longum Temporis ſpatium frequentaverit. Quis enim Tyroni Medico dubia exorta dirimet, quis erronea corriget, quis rationalem ſtudii medici methodum monſtrabit, niſi licet Præceptores & Profeſſores ipſos adire, eorumque Conſiliis privatis frui.

Præterea neceſſe quoque eſt, ut Lectiones curioſius meditetur,

tur, *omnia rigoroſius examinet*, & *præcipuos Proceſſus chemicos* ipſe *inſtituat*, *peragatque*, *aut ſaltem inſtitutos* ipſe *inſpiciat*, *Cadavera tam animalium quadrupedum*, *quàm Hominum*, *propriis manibus diſſecet*, & *ſe in anatomia expertiſſimum*, *verſatiſſimum reddat*; *corporis enim anatomica cognitio multo majorem utilitatem præſtat*, *quàm vulgus Medicorum credit. Sunt enim*, *iique non pauci*, *qui ſibi perſuadent*, *anatomiam neceſſariam* & *utilem quidem eſſe Chirurgo*, *non autem æque medico. Sed quam vana* & *quam futilis eſt hæc opinio! an enim fieri poteſt*, *ut quis varios corporis humani morbos*, *in interioribus* & *ſæpe ſubtiliſſimis Partibus hærentes*, *rite cognoſcat*, *prudenti Ratione medendi levet*, *niſi ſtructuræ cognitio*, & *lux anatomica præluceant? Omnino impoſſibile hoc eſt. Quæ cum ita ſint*, *tam Medicinæ*, *quàm Chirurgiæ* Studioſos, *ad anatomiam*, *ut doctrinam conſideratione dignam*, & *hinc diligentius excolendam*, *exhortor. Præterea multa alia ad morborum Curationem feliciorem tam neceſſaria ſunt*, & *requiruntur*, *ut nemo Chirurgiæ*, *Artis obſtetriciæ*, *vel reliquarum* Τεχνων θεραπευτικων *ignarus*, *cum certitudine Morbi Cruciatus mitigare*, *ſuſpendere*, *tollere poſſit. Quis enim*, *ut*

B 2 *in*

in Exemplo mentem meam clarius exponam, Calculi in Veſica urinaria præſentiam ex ſignis vulgo traditis rite & absque formidine oppoſiti, niſi Inſtrumento utatur, valebit determinare? Frequenter tales Errores, Ægris plerumque exitiales obſervavi. Inter multa alia Exempla ante Oculos verſatur unum, ubi Medicamina ad Ulcus Veſicæ interne ſine utilitate adhibita fuerant, immo, quum Æger miſerrime ad tertium diem ab Ισχȣρια *ex Collo Veſicæ conſtricto excruciatus erat, tandem, ad lotium arte emittendum, Catheter, ſed tunc nimis tarde, introductus fuit, ſphacelo enim ſuperveniente, Vitæ Filum ſubito abrumpebatur. Qui Medicus, niſi in Arte obſtetricia peritus, in quibusdam Caſibus, utrùm Hydrops, an Graviditas adſit, cum certitudine declarare poterit, niſi Ventris examine inſtituto, aut melius Ore Tincæ ope tactûs* (toucher, belgice, het onderſlaan) *explorato.*

Novi duas deplorandas Feminas, quæ ultra ſex Menſes gravidæ, a Chirurgo Artis obſtetriciæ ignaro, ex Medici decreto, quum tamen nullus Hydrops aderat, parietum abdominis pertuſionem, ſive παρακεντησιν, *attamen non letalem, ſubierunt. Porro hac occaſione duorum aliorum Exemplorum me-*

mo-

moriâ menti obverſatur, unum *Mulieris*, *cui*, *quoniam hydropica habebatur*, *ante ſeptimum Graviditatis Menſem*, *nempe in tribus proxime antecedentibus*, *multa* Φαρμακα *diuretica*, *immo etiam Purgantia* δραστικωτατα *exhibita fuerunt*, *attamen bonâ fortunâ ſine ullo incommodo;* alterum *eſt Feminæ quadraginta Annos natæ*, *bonæ famæ*, *quæ nupta Viro cohabitaverat*, *cui Venter per Menſes fere octo increverat*, *dum interim* Καταμηνια *regulariter fluebant. Eadem bis*, *ſed diu ante hoc tempus*, *pepererat*, *&* *plerumque per totam Graviditatem fluxum Menſium experta erat*, *ut non ſolum deceptus fuerit Medicus*, *ſed etiam Femina ipſa*, *ut renuntiationi meæ poſt inſtitutam Oris uterini explorationem fidem dare renueret*, *immo mihi ita irata eſſet*, *ut Præſcripta mea tangere nollet. Quum deinde*, *Partu inſtante*, *Chirurgus in auxilium vocatus fuerat*, *qui Manus obſtetricias parturienti admoveret*, *ea irâ percita adfirmat*, *dolores non eſſe ſimiles iis*, *quos in prioribus Partubus experta eſſet*, *ſed eſſe colicos. Verumtamen non longum tempus præteriit ex quo*, *ſummis Gaudiis perfuſa*, *Filiolum enixa eſt.*

Plura hujus Farinæ enarrare poſſem, *ſed memorata ſufficiant.*

 Quam-

Quamvis vero Artis obſtetriciæ, chirurgicæ, cum Φαρμακων *diſpenſatione conjuncta Cognitio ad rite & prudenter de malis Corporis diverſis judicandum, ad eaque removenda, in Medico neceſſaria ſit, nollem tamen putare, aut adfirmare, exercitium* harum *Artium ad Medicum pertinere, probe enim ſcio, rem aliter ſe habere, niſi quis ſtatos Scientiarum Limites dirimere velit. Conſtituunt igitur Chirurgi aut Pharmacopolæ Officium.*

His, quæ hactenus de morborum curandi cognitione monui, addam tantum illud, valde neceſſarium eſſe cum Meditatione ſuper res in propria Experientia occurrentes optimorum Autorum lectionem conjungere, & tam veterum quam recentiorum ſcripta

Nocturna verſare manu verſare diurna.

Ex diſputatis igitur clare adparet, Scientias varias, cum variis Artibus conjunctas, ad Medicum perſiciendum ſummopere valere, & ut de Nuce fit Corylus, de Glande fit ardua Quercus: *ita ab artibus infimis, ſi omnino tales dantur, ſenſim aſcendimus ad altiora. Quis Dux militem ſpernit? Nonne optimus quisque Dux inter milites priùs arma geſſit, quàm aliis im-*

imperare didicit? Nemo enim ſimul atque ſemel ad ſummum faſtigium evehitur, ſed gradatim ad ſidera tollitur. Sic etiam cum Medicinæ Provincia res comparata eſt, ſic cum aliis ſcientiis, ut meritò cum PRUDENTIO *Lib.* II. *contra Symmach. dicamus:* tardis ſemper Proceſſibus aucta creſcit vita humana. *Interim nihil frequentius eſt, quam etiam medicos videre, qui omnes alias artes minimi faciunt, easque contemnunt, vituperant, immo notitia Medici indigna declarant. Tales obtrectatores ſi legerent, ex veteribus Hipp. Galen. Celſum, ex recentioribus Boerhaave, Gaubium, van Swieten, Haller &c. & præterea alios Profeſſores celebrium Academiarum audirent, tunc tales artes, a ſanioribus nequaquam contemni, rejici, ſed potius magnis Laudibus extolli viderent. Probe ſcio dari inter medicos* εμπειρικȣς, *qui* θεωριαν *(ſæpe valde vanam) nihili putant; ſicut e contrario inter* θεωρητικȣς, *qui* πραξιν *(non raro cœcam & in tenebris palpantem) parvi æſtimant; ego verò* nullius addictus jurare in verba magiſtri, & *Theoriæ non prorſus inſcius, ex diuturniori Experientia adſirmo,* θεωριαν & πραξιν *ad medicum faciendum conjungendas eſſe, nam utraque perutilis eſt, maxime tamen poſterior. Occaſionem enim habui*

am-

amplisſimam, uberrimam, medicos in θεωρια *verſatiſſimos, & Litterarum maximè gnaros, obſervandi, qui omnes omnium medicorum Theorias tenaciſſimè menti impreſſas in promptiſſima habebant memoria, qui tamen, ad lectum vocati, ſymptomata morborum nequaquam* κλινικως *diſtinguere ſciebant. Quæ cum ita ſint, quid tali medico pejus? aut quid ægris exitialius? Hinc late aperteque patet, praxin* ιατρικην *eſſe peſſimam, & ſaluti hominum infeſtiſſimam, quum Chirurgus judicio deficit, & Medicus imprudens ejus Operationes conſilio ſuo dirigit. Diſcant igitur Tirones medici quantæ ſit neceſſitatis artem ſuam, quam ſequuntur ſumma cum aſſiduitate excolere: Finiam igitur verbis divi Coï:* οι Ιατροι Φημη μεν πολλοι; εργω δε πανχυ βαιοι.

DIS-

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA INAUGURALIS DE VARIOLIS ATQUE MORBILLIS.

CAPUT PRIMUM.

De Variolis Spontaneis.

PARS I.

De Variolarum Origine atque Natura.

Nequaquam mihi in præſentia animus eſt morem plurium Auctorum ſequendi, atque vana futilique Ratiocinatione veras Origines atque Indolem proximæ Cauſæ Variolarum indagandi, ſed tantum modo ea, quæ de his ſentiam, ſine ambagibus propo-

nam.

nam. Morbum tam late patentem, tam univerſaliter & promiſcue per ſexus, per ætates, per Temperamenta graſſantem, & per Regiones, Climata diverſiſſima diſſeminatum, naturæ humanæ cœvum ſtatuo. Licebit mihi igitur ea, quæ HIPPOCRATES *de locis in homine* de partibus dixit, etiam de morboſo ſtatu adſerere. Εμοι δοκεῖ αρχη μεν ου ουδεμια ειναι του σωματος, αλλα παντα ομοιως αρχη, και παντα τελευτη. Minime quidem ignoro, de ejus Antiquitate, Ortu, atque Progreſſu a longo tempore late docteque diſputatum eſſe, dum alii Variolas hoc tempore, alii alio exortas fuiſſe, adfirmabant. Clariſſimus noſter FRIEND oper. p. 330. Variolas primas ſuas Origines A. R. 622. habuiſſe putat, REISKE, ut MEAD de Variolis p. 3. refert, illas cum morbillis primum A. 572. adparuiſſe autumat. Sunt & qui contendunt, eas Ιατροις Græcis & Latinis penitus incognitas fuiſſe. Inter hos referimus archiatr. MEAD l. c. p. 2. WERLHOF de variolis, & KIRKPATRICK, *Analyſis of Inoculation*, ultimus, qui acute & late de hoc malo inoculando ſcripſit, dubitat, an Veteribus morbus noſter cognitus fuerit, dum inter alia ſic loquitur, *it ſeem's improbable that the Greek or Latin Phyſicians knew this diſeaſe.* Egregius vero de HAEN, unà cum ipſo illuſtri Arabe RHAZE pag. 10. Edit. *Channing.* contrarium adfirmant, GALENUM nempe Variolarum non fuiſſe inſcium. Præſertim vero ſequentia urget verba امّا من قال من الاطباء ان الفاضل جالينوس لم يذكر الجدري ولم يعرفه البتّة فانه ممن لم يقراء كُتُب جالينوس او ممن مرّ عليها صفحًا فان جالينوس وصف في المقالة الاولي من قاطاجانوس فقال انه ينفع من كبث وكبث ومن الجدري *ille profectò ex Medicis, qui dixerit, præſtantis-*

tiſſimum GALENUM *nec Variolas memoraſſe, neque noviſſe omnino ex iis eſt, qui ſcripta* GALENI *nunquam legerunt, vel folia tantum volutando per illa tranſierunt.* GALENUS *etenim præſcriptum exhibet in tractatu primo* κατα γενος *ubi dicit: juvat quidem hoc & illo modo & contra Variolas.* Conf. GALEN. περι συνθεσεως φαρμακων των κατα γενη εστι δε και ιονθοις το φαρμακον αριστον. Edit. Ald. T. II. F. 6. L. 5. Veriſimile itaque eſt, ſecundum *Channingium*, RHAZEN verſionem GALENI conſuluiſſe, ubi ιονθοι, φλεγμοναι, Ερπητες per جدري reddebantur, & inde ortam eſſe opinionem, hunc morbum GALENO notum fuiſſe; جُدِر variolis puſtulisve corripi ſignificat, inde nomen جُدَرِيّ variolæ. Manet igitur in dubio an GALENO revera notæ fuerint, quamvis in variis locis GALENUM *illas* noviſſe videatur. Potiſſimum notatu dignus eſt ſequens de uſu Part. L. IX. F. 52. Lin. 35. Ed. Ald. το δε πυ και σηπεται τω χρονω ταυτι τα συνιστωτα περιττωματα, και υπο δριμυτερα τε και θερμοτερα γινομενα Φλεγμονας, και Ερυσιπελατα και Ερπητας, και Ανθρακας και Πυρετους, και μυριων αλλων Οχλον αποτικτει Νοσηματων. Ex hac igitur ratione mihi mirum videtur, morbum nunc temporis tam dirum, & tanta ſymptomatum letalium Cohorte ſtipatum, abſque notatione præteriiſſe, ſi apud *Veteres* tam late graſſatus eſſet. Non enim credibile eſt Græcos, Latinosque, qui alios morbos tam accurate depinxerunt, in Variolis deficere. Fortaſſis maxima Pars ſcriptorum, qui de hoc morbo ſcripſerunt, in Incenſione *Alexandrina*, Litteris tam exitioſa, flammis conſumta fuere. O Incendium cujus noxas nullum unquam tempus ex memoria doctorum delere poterit! Quidquid etiam horum ſit, hoc ſaltem certum eſt, ſi nemini priorum temporum, ſaltem RHAZI, de Variolis atque Morbillis ſecundum varia il-

larum ſtadia latiſſime & adcuratiſſime ſcribenti, multum debemus. Ex recentioribus vero præter alios SYDENHAMUS noſter

Who ſtudy'd Nature thro', and Nature's Laws,
Nor blindly puzl'd for the peccant Cauſe.

de Variolis tam egregie ſcripſit, ut ex mente magni BOERHAVE Aphorism: 1379. *decies legi mereatur.*

Malum noſtrum morbus Variolarum, vel ex ſimilitudine cum *Varis*, ſeu potius diminutive *Varulis*, vel a *Variando*, quoniam mutationes corpori ſæpe inducit mirabiles, vocatur.

Symptomata, quæ Variolarum morbum comitantur, plerumque cum ſymptomatibus aliarum Febrium eruptivarum conveniunt.

Variolæ ab autoribus in varias dividuntur Claſſes, ex ſententia vero SYDENHAMI, & BOERHAAVII, quos omnino ſequor, in duas tantum diſtinguam, ſcilicet in *diſtinctas* & *confluentes*. His ſpeciebus nonnulli addunt *ſiliquoſas*, *cryſtallinas*, *verrucoſas.*

Quælibet ſpecies, diſtinctæ nempe & confluentes, in ſuo decurſu quatuor præſertim ſtadia abſolvit, viz. ſtadium *Contagii* ſeu *Febris*, *Eruptionis*, *Maturationis*, *Exſiccationis.*

Hic morbus æqua lege Pauperum Tabernas, Divitumque Turres viſitat, ut quum ολος Ανθρωπος εκ γενετης Νουσος εϛι *Hip.* Epiſt. ad Damaget. perraro ullus inveniatur, qui Variolis immunis moriatur.

Variolarum morbus valde επιδημικος, Contagionem quoque auxilio aëris ad Regiones maxime diſtantes, ad inſtar Peſtis, transmittit. Cubiculo, Veſtimentis, Tactu, ſimilibusque, Μιασματα variolofa ut peſtifera, miris modis inficiunt, & in-

ſin uan-

ſinuantur. Invadunt vero nunc ſporadicè, nunc pandemicè & totos Pagos, Urbes, quin Regiones ſubitò devaſtant, Infantes, Pueros, Juvenes, Adultos, Senes dirimunt, & quum per aliquot temporis ſpatium crudeliſſimè ſævierunt, non raro etiam ſubito a ſævitia remittentes, miteſcunt.

Multum tamen ad Variolarum Indolem & Ingenium facit aëris Conſtitutio, prout frigida, tepida, humida, ſicca ſit, vel prout Eurus, Aquilo, Africus, vel Zephyrus Atmoſphæram agitant. Tempore vernali & autumnali præcipue graſſantur Variolæ, non raro etiam per annum integrum; id quod jam obſervavit *Rhazes*. فاواخر الخريف وابتداء الربيع
واذا كان في الصيف امطارا متواترة وهبّت جنايب كثيرة
متتابعة واذا كان الشتاء دفيّا جنوبيّا ۞
extrema porrò ſunt autumni, & Veris Initium, & quando per æſtatem pluviæ ſunt intenſæ, crebræ, & venti auſtrales flant multi, & continui; & quando hyems eſt tepida & auſtralis.

Infantes Juvenibus, Juvenes Adultis, Adulti Senibus ad hunc Morbum magis ſubjecti obſervantur. Quo citius in tempore hiemali incipiunt, eo violentius plerumque in Populum graſſantur. Quum igitur Menſe Januarii invadunt, malæ, ſed peſſimæ, quum Menſe Decembris adhuc pergunt, in tempeſtatibus verò Mediis, quum Imbres copioſiores cadunt, aut Calor æſtuans eſt, periculoſiſſimæ ſunt. Univerſam autem Corporis ſuperficiem, tam internam, quàm externam obſident, & tàm mollia, quàm ſolidiora, infeſtant, lædunt. Bene in memoria adhuc teneo Exemplum Puellæ Variolis laborantis, & ſub Auſpiciis Dom. Couch, *Chirurgi expertiſſimi*, & mihi *amiciſſimi*, iterum convaleſcentis, cui poſt maxi-

mum Brachii non multum inflammati dolorem, de quo conquerebatur, repentè Os Humeri *ſponte*, & ſinè Violentia externa, in media ſua Parte fractum obſervabatur.

PARS SECUNDA.

De Rebus Diacriticis.

Ii, qui Variolis mitioribus aut diſtinctis ægrotant, rarius ſi unquam, Febri mitiori vel graviori, ſimul cum totius Corporis Laſſitudine, Doloribus vagis, Inappetentia, Horroribus, carent. Paullo poſt his ſeſe adjungunt Caloris incrementum, dolores Capitis, præcipuè لا سيما وجع الظهر مع الحمي *dolor dorſi cum Febre*, & Lumborum, Nauſea, non raro Vomitus cum ſenſu ponderis ad Cordis Scorbiculum, Facies fit rubicunda, Febris intenditur, Arteriæ vividius, præſertim in Temporibus pulſant, Infantes & Juniores non raró ſomnolenti fiunt, ſtuporibus opprimuntur, aut Επιληψια corripiuntur, Adoleſcentes vero & Adultiores a gravioribus Adfectibus, quibus plerumque excruciantur, Διαφορησι largiori, vel & Sudatione liberantur.

Sanguis circa horam trigeſimam, vel quadrageſimam poſt Invaſionem ad diem usque quintam, vel & tardius miſſus, Cruſtam inflammatoriam, qualis in πλευριτιδι frequens eſt, monſtrat.

Die interdum tertio, ſæpius quarto, rarius quinto Maculis

lis ſubrubidis, *Pulicum* morſibus ſimilibus, univerſa Corporis ſuperficies, præſertim Pectus, Collum, Brachia, & Pedes obſidentur. Hæc Puncta rubra de die in diem magis augentur, ad Tactum etiam fiunt ſenſibilia, & in Puſtulas elevantur, Cutis circum has rubeſcit, prurit, ſymptomata vero febrilia miteſcunt, niſi quod Adulti hoc tempore Sudoribus vexentur, qui eis tamen omnino conducere videntur. Brevi poſt Gutturis dolor invadit, Puſtulæ magis prominent, Saliva copioſior in Os influit, & Infantes non raró Sternutationibus exagitantur.

Interſtitia Puſtularum quinta, ſextave die rubent, calent, dolent, Palpebræ, ſi Variolæ has, vel Oculos magis obſeſſos tenent, intumeſcunt, & non raró clauduntur.

Deinde Vultus æquè ac Manus atque Pedes tumore inflantur, Puſtulæ in Facie hærentes læves, & rubræ adhuc, nunc Humore replentur, aridæ & ſubflavæ fiunt; Urina autem non raró ſupprimitur.

Poſt undecimum diem ab Initio Invaſionis, vel & citius, Facies incipit detumeſcere, Puſtulæ tamen per Corpus diſperſæ, & adhuc creſcentes, perſiſtentes, jam matureſcere, areſcere, properant, Εσχαρας formant, & circa diem decimam quartam vel quintam abeunt in ſquammas, cadunt, & ſæpe Veſtigia relinquunt.

Multoties autem evenit, ut Puſtulæ in Extremitatibus adhuc ſuperſint, dum in aliis Corporis locis penitus deſquammavêre. Tantum de Variolis diſtinctis, jam de indiſtinctis.

Altera hæc Variolarum Species, Symptomatibus in univerſum cum priori ſtipatur communibus, niſi quod in hac omnia ſint violentiora, & non raró ſubſultus epileptici, deliria,

Maculæ purpureæ in Interſtitiis, effloreſcentes, ſuperveniant. In Adultis hoc tempore Sudores, in Infantibus Convulſiones, citò plerùmque ceſſantes, obſervantur.

Sæpe tanta Diatheſis putrida in Humoribus obſervatur, ut die tertio, immò & ante, Puſtulæ varii Coloris plerùmque letales cum diriſſima Symptomatum Syndrome ſuperveniant. Memini miſerrimi Juvenis, viginti Annorum nati, qui diriſſimis Symptomatibus correptus ſub Noctem ſequentis diei ad plures abibat. Hujus Corpus, dum adhuc in Vita erat, veluti Maſſa maxime putrida, vel Materies mephitica peſſime olebat, & Maculis lividiſſimis ſubnigris ubique obſitum erat, quin etiam de variis Corporis partibus ipſisque Poris cutaneis, præcipuè autem e Naribus, Ore, Ano, Sanguis inſtar Liquaminis putridi totus diſſolutus copioſiſſime fluxit.

Perrarò Eruptio retardat, de qua re SYDENHAM *ob atrox aliquod Symptoma*, inquit, *ad quartum vel quintum usque diem differatur Eruptio, verbi gratia acutiſſimus dolor nunc in regione lumborum paroxysmi nephritici æmulus; nunc in latere, qualis pleuriticos vexat, nunc in artubus, ut in rheumatismo, nunc demum in ventriculo cum ingenti ægritudine & vomitu enormi ante eruptionem ægrum fatigat, angitque.*

Nec infrequens eſt in hac Specie Puſtulas Morbillos, Ερυσιπελας, æmulari, depreſſas, conjunctasque adparere Vultumque totum Veſiculis quaſi rubidis indiſtincte obtegi. Itemque in his citius, quam in diſtinctis, Faciei, Manuum, Pedumque Tumor ſuccedit.

In initio Eruptionis, quin & tardius, Adultis Saliva abundantius in Os influit, immo Perſpirationem habent largiorem,

rem, Junioribus vero Alvus exiſtit laxior. In Infantibus frequentius diarrhœa, in Adultis vero Salivatio, obſervatur. Febris nunquam penitus ceſſat, aliquando tamen miteſcit.

Puſtulæ tandem inſtar veſicularum, nunc fuſci, nunc nigri Coloris, octavo die interdum adhuc tardius incipiunt albeſcere, flaveſcere, & die decimo ſexto vel ſeptimo exſiccantur, decidunt. Quum præmature vel vi, vel alia ex Cauſa desquammantur, Veſtigiis Squammularum decedentium Εσχαραι fœtidæ ſuperveniunt. Non raro etiam ſæviente Morbo Cuticula longe lateque ſecedit.

Circa diem ſeptimum a Pure Puſtularum, nunc quotidie magis magisque ſuppurantium, abſorpto, & a Perſpiratione Santoriana ob Puſtularum Cruſtas ſuppreſſa, reſuſcitatur Febris, quæ quotidie incrementa nova capiens, ad duodecimum usque diem ultraque ſævire pergit. Symptomatibus hactenus enumeratis multivaria alia ανωμαλα, & plerumque letalia, junguntur. Frequentius ſub initium Mali, quum non bonæ Indolis ſunt Variolæ, doloribus Lumborum, Pectoris, Faucium, Capitis corripitur Æger, qui tot quaſi ſunt Præcurſores Peripneumoniæ, Anginæ, Phrenitidis.

Dies præſertim octava & undecima maxime notanda ſunt, nam in uno ex his plerùmque de Vita vel Morte decernitur.

Quibus mox ab initio vel ſponte, vel a Cardiacis datis, ſudor fuit largior cum levamine, iis omnino ſpes ſanitatis recuperandæ ſupereſt; ſi vero contrarium contingit, Morbus ingraveſcit, & præſertim Faciei Tumor, Interſtitiorum inter Puſtulas Rubedo, Sudores, quamvis congrua remedia adhibeantur, diminuantur, Periculum ſubeſt; ſi porro penitus

abſint magis periclitantur; ſi præterea Inflammatio, Tremor, ſuperveniant, Urina parca, frequensque tamen ad meiendum conatus ſit, in ſummo verſantur diſcrimine.

Tempus criticum in *indiſtinctis* plerùmque in diem incidit undecimum, nam ſputa antea tenuia, nunc in cruda, viſcida, tenacia, non niſi cum difficultate exſpuenda, immo fere ſuffocantia mutantur; ſaliva adhuc tenuis, limpida, fluida, craſſeſcit, minuitur, effluere deſinit, & Potus *tuſſiendo* per Nares rejicitur. Niſi, diris his, & valde metuendis Symptomatibus, in Tempore Turgeſcentia Manûm, Pedum, Vultûs, ſuccedant, quod tamen rarius contingere obſervatur, Angina, Stupore, Comate, ſimilibusque corripitur Æger.

Quemadmodum Febris varioloſa cum aliis Febribus eruptivis, antequam Puſtulæ in Cute prorumpunt, multum convenit, ut hinc in Diagnoſi & Prognoſi non raró etiam prudentiores Gradum cohibere, quam in tenebris illidere malint: ſic etiam poſt Eruptionem, priusquam Exanthemata promineant, ſæpe decipiunt. Non raró enim in erumpendo Morbillos valde æmulantur, & ſunt vel ſeſſiles, vel conjunctæ, Veſicis rubris, Ερυσιπελαῖ non abſimiles. Memini me vidiſſe, alios ægros viſitandi ergo advocatus, puerulum, cujus cutis maculis rubris vix prominentibus fœdata erat, & qui etiam ſymptomata morbi varioloſi, qui in vicinitate graſſabatur experiebatur, nullus igitur dubitavi, quin Variolis laboret; attamen poſt paucos menſes, dum interim ulterius hunc Puerum obſervandi occaſio fuit nulla, audivi, priorem Eruptionem non fuiſſe varioloſam, immo non multos annos poſt varioloſa Febre correptum, Variolis quoque obiiſſe.

Juvabit igitur in Diagnoſi formanda ad *ſequentia* reſpicere.

Quum

Quum dolor Capitis, Lumborum, Nauſea, Vertigo &c. fatigant, aut Infantes Inſultus epileptici divexant, inquirendum, an, jam Variolis correptus fuerit æger; an perterritus fuerit *adſpectu reconvaleſcentium* a Variolis; an mente ex *timore* agitatus; an tandem Variolæ in loco ipſo, aut in vicinitate epidemicæ obſerventur. Ex omnibus enim his de contagio admiſſo certi eſſe poſſumus.

Quo tardius erumpunt Variolæ, eo melioris Indolis ſunt; ſi Puſtulæ diſtinctæ, rotundæ, cuſpidatæ, cum marginibus floridis, & in fine Pure refertæ flaveſcunt, exitum bonum præſagire licet.

In primo Stadio Adulti Sudoribus, Infantes vero Inſultibus epilepticis magis obnoxii ſunt. Pulſus nec debilis, nec inæqualis, Urina non pallida, ſed υποςατικη, præſertim ſi reliqua ſymptomata miteſcunt, naturam Morbi *victricem* futuram ſpondent. E contrario pulſus velox, debilis, urina ſeroſa, ſine multo vel nullo ſedimento, puſtulæ primo, ſecundo &c. die jam erumpentes, Ερυσιπελατι ſimiles, & in Facie modò apparentes, modò iterum evaneſcentes, malum portendunt; interim tamen cum *Italis* dicere poſſumus: *la Morte ſola puo occider la Speranza.*

Puſtulæ cum apicibus nigris vel lividis, maculæ ejusdem Coloris, Urina vel Alvus cruentæ, Cruor per Cutis poros exſudans &c. horrenda, letalia ſunt ſymptomata.

Quum in Vultu vel Pectore uberiores, quam in aliis Partibus, prorumpunt Puſtulæ, in diſcrimine verſatur æger. Puſtulæ Pure craſſo, albidulo refertæ, intervallis roſeis matureſcentes, bonum exitum portendunt. Sanies autem tenuis, nigreſcens, ſubrubidula, peſſimum dat Indicium. Puſtulæ

Verrucarum ritu duræ, Cruore repletæ, ſiliquoſæ, cum aliis ſymptomatibus gravioribus concurrentes, Mortem præſagiunt.

Si æger floccos colligit, muſcas venatur, Febris dum Eruptio facta eſt non minuitur, ſed potius augetur, Carotides vehementer pulſant, Delirium, Phrenitis ſuperveniunt, Oculi rubri, luctuoſi ſtant, cum Tendinum ſubſultu, atque Dentium Stridore, Mortem præſagiunt.

Si in *diſtinctis* die octavo Sudores, ſine Faciei Extremitatumque Tumore, ceſſant, & Puſtularum Interſtitia ſubalbida & flaccida ſunt, & ægrotans delirio perpetuo feroci exagitatur, moritur! ο μεν γαρ ιητρος ορει τα δεινα, θιγγανει τε αηδεων, και επ' αλλοτριησι ξυμφορησιν ιδιας καρπουται λυπας. Hipp. L. de Flat.

Variolæ aliquot Dies maturius erumpunt, quàm Exanthemata in Febribus miliaribus; *priores* plerùmque ſe priùs in Facie monſtrant, *poſteriores* in Collo, Pectore & Manibus.

Variolæ tandem etiam a Febre ſcarlatina differunt in eo, quòd Maculæ *ſcarlatinæ* nunquam ſupra Cutem elevatæ emineant, quamvis ſæpe ſimùl cum Variolis conſocientur.

PARS TERTIA.

De Methodo Variolis medendi.

Hactenus de hujus diri morbi (ſine diſcrimine vel Sexûs, vel Ætatis, Temperamenti, ad inſtar Fulminis rapidiſſimi ad orcum abripientis) indole, ſymptomatibus, exitu ſatis,

tis, ut puto, egimus. Proximum jam eſt, ut varias huic morbo medendi Rationes examinemus.

Medelam *ſpecificam* prætereuntes, eamque potiùs Poſteritati relinquentes, hîc tantum modò de Febre moderanda, Maturatione promovenda, atque de Febre ſecundaria levanda agamus neceſſe erit.

In Methodo hunc morbum tractandi magna Differentia inter auctores obtinet, dum alii cum Mortono methodum calidam, alii vero cum Sydenhamo frigidam, antiphlogiſticam laudant: Ego vero nec uni, nec alteri ſoli, ſed cum Scaligero *rationi, aut quæ ratio eſſe videtur, milito*, nam *dum vitant vitia in contraria currunt.*

Quum Variolæ ſint morbus ſuppuratorius, hinc inflammatorius, praxis Sydenhami quoad maximam partem præferenda eſt, quamvis non ſemper ſufficiat, nam ubi Febris juſto languidior eſt, aut Puſtulæ non rite emergunt, αλεξιφαρμακα cum Cardiacis combinata optima evadunt remedia.

Hæc e *Rhaze*, كما تبتدي علامات الجدري ان يغرغر العليل بماء الرمان *quamprimum ſigna Variolarum cæperint apparere, ut gargarizet Æger & colluat Fauces, ſucco Mali punici.* قطر في العين كما تظهر علامات الجدري ماء ورد مرة بعد مرة واغسل الوجه بالماء البارد مرات في اليوم ورش منه في العين ايضا *inſtilla Oculo, ſtatim atque apparuerint ſigna Variolarum, aquam Roſarum, vice poſt vicem, & abluito Faciem aquâ frigidâ ſæpiùs in die: eandem etiàm Oculo inſpergito.*

In diæta plurimi conſentiunt, quod nempe refrigerantibus cum diluentibus, Alvum & Urinam leniter cientibus, opus ſit. Hujus Generis ſunt, Dec. Hordei, Aven., Serum Lactis

cum ſucco Limon. vel Pomorum alteratum, aliive Liquores ſubacidi, Cerevifia tenuis, aut Vin. pomaceum (Cyder) benè fermentatum, quod in Febribus magnæ utilitatis eſſe poteſt. His addimus, ſi lubet, Fructus horæos, ut Poma, Pyra, Ceraſa cocta vel aſſata, aliaque inde parata, rurſùm *Rhazes.* والثرايد
المعمولة من هذه بماء الحصرم *harum (Gallinarum)*
etiam conciſſæ Carnes, cum ſucco Uvæ acerbæ paratæ. يسقون
الماء البارد بالثلج او ماء العيون الصادق البرد
bibant Aquam Nive refrigeratam, vel Aquam fontanam puram frigidam. ومن كان منهم اسخن مزاجاً واكثر
تلهباً فليأخذ بالغدوات ماء الشعير المحكم
الصنعة وقد صب عليه ربعة ماء الرمان الحامض
quique ex illis fuerint temperamento calidiori, & magis inflammati, manè ſumant aquam Hordei accurate paratam, cui affundatur quarta pars ſucci mali punici acidi.

Æger modò vires illud permittant, in Cubiculo moderate calido obambulet: juvabit quoque temporibus æſtivis aërem frigidiuſculum ſubinde in Cubiculum admittere, tempore verò hyemali cavendum, ne aër Cubiculi, in quo verſatur ægrotus, foco largiori plus æquo incaleſcat, aut *decumbens* ſtrangulis nimis obruatur.

In primo ſtadio, quum Æger nec Πληθῶρα laboret, nec Symptomata graviora urgeant, nil niſi diluentia cum Calore moderato, Cibisque tenuiſſimis, conveniunt. Si habitûs ſit robuſtioris Æger adultus, Capitis, Dorſi, Lumborum dolore valde vexetur cum Inſultibus epilepticis pertinacioribus, quantocius è Jugulo, Brachio, vel Pede mittatur ſanguis, & quidèm pro re nata largius. De hac Sanguinis miſſione ſic loquitur

Rha-

Rhazes: ومتى رأيت علامات الجدري فرأيت تمديد
البدن وكثرة التمطي ووجع الظهر وحمرة اللون
والعينين والصداع قويا غالبا والنبض عظيما
ممتليا والنفس ضيقا والماء كدرا احمر وجسة
البدن حارة كحال من قد قرب عهده بالحمام وكان
البدن لحيما التدبير موجبا لكثرة الدم فاخرج
دما كثيرا الى ان حدث الغشي *Porro, ſigna Variolarum quando conſpexeris, viderisque corporis diſtentionem, jactationem frequentem, dolorem dorſi, ruborem coloris & oculorum, cephalalgiam admodùm vehementem, & pulſum magnum plethoricum, & reſpirationem anguſtam, & urinam turbidam, rubram, & tactum corporis calidum, uti ſtatus eſt hominis ex balneo exituri; & ſi corpus inſuper ſit carnoſum, & regimen olim tale fuerat, quale ſanguinis abundantiam neceſſariò inducit, utique ſanguinem copioſè detrahito, quousque delirium oriatur.*

Si Variolis divexati juniores ſint, ex jugularibus ſectis ſanguis extrahatur, vel Hirudines, Cucurbitulævè Temporibus adponantur, Cataplasmata emollientia pedibus admoveantur. Mirabilem non raró uſum præſtant, ut multoties vidi Balnea tepida, maximè Pediluvia. وان يلبس العليل قميصا
ضعيفا وتشد ازراره وتوضع تحته طستين صغيرتين
فيهما ماء مغلي واحد من قدامه واخرى من خلفه
ليصل البخار الى جميع بدنه خلا الوجه
ويدخل الجلد فيسهل قبوله للفضل وانفشاشه
منه *indutus ſit æger etiam induſio duplici, cujus oræ ſupernæ fibulis arcte ſubnectantur, & ſubtus illud ponantur duæ parvæ pelves in quibus ſit aqua fervens, una antè il-*

illum, altera poné illum, ut calor vaporis ad univerſum corpus perveniat, (facie exceptâ) adeòque cutis rareſiat, & facilior reddatur ad recipiendam redundantiam, & evaporandam.

Maturatio وانضاجه اذا كان سليماً يكون بتكميده ببخار الماء الحار *tamen Variolarum (modò ſint ſanabiles) ſit vaporando eas cùm vapore aquæ calidæ.*

Si poſt venæ pertuſionem ſufficientem nauſea, vomitus, tenſio & ſenſus ponderis in Hypochondriis manent, aut ſuperveniunt, vomitorium adhibeatur; ſi vero alvus ſit nimis adſtricta, Enemata aut Lenitiva, ut Manna, Sal Cathart. Magneſ. Alba &c. propinentur. Confirmat hæc ALZAHARA dum ſic loquitur. ואמנם אם יהיה טבע החולי יבש בתחלת החולי וקודם התכלית צריך לרככו וכל שכן בעת הגבורת החמימות וכאב הראש להקל על הטבע ולהקל ליהות אלגדרי אחר שיראה כח החולי חזק וגופו בלתי יבש נפוח עם לובן המראה וכוח הדפק: *Atqui ſi ſit alvus ægrotantis ſicca in principio morbi & ante finem (κρισιν, perfectionem) neceſſe eſt illam ſolvere, & præcipue in tempore vehementiæ febris ardentis, & doloris capitis, ut levis reddatur natura, & minuatur humor Variolarum, poſtquam videris ægroti firmas eſſe vires,* & corpus ejus non eſſe ſiccum *ſed* inflatum, cum albore coloris & fortitudine pulſus. Et alio loco. רק אם תהיה הקדחת רפה ונמק ואין הטבע רך ישים עליו כערך מחצותו מיץ רמונים המוצים שחוקים עם הגרעינין ולא עם בשרם: *Atqui ſi fuerit febris debilis & interna, & non ſit (naturá) alvus laxa, huic (viz. Dec. Hord.) admiccatur quaſi dimidium*

dium ſucci malorum punicorum acidorum contuſorum cum Granis ſuis, nequaquam verò cum pulpa eorum.

Deglutitio, dum Puſtulæ erumpunt difficilis reddita, Epiſpaſtica indicat, ſi vero penitus abolita ſit, Æger caute & frequenter cum ſucco pomaceo tepido, cum vel ſine melle, os, imasque Fauces colluat, & ne Corpus nimis areſcat, juſcula Carnium tenuiſſima per Anum injiciantur. Si vel in hoc ſtadio Arteriæ impetuoſius micent, & Æger multum febricitet, de novo Vena incidatur. In univerſum notandum eſt, non ſolùm in hoc Stadio, ſed etiam in reliquis inſequentibus, modò Vires illud permittant, & ſymptomata id poſtulent Venam pertundendam eſſe, *ſatius enim eſt anceps experiri remedium, quàm nullum.*

Quum Febris ſegnior, Pulſus debilior fit, Æger languet, atque Puſtulæ non rite erumpunt, ad naturam oppreſſam, aut exhauſtam ſtimulandam, internè ad Φαρμακα Καρδιακα, externè vero Irritantia, Veſicatoria, confugiendum eſt. Hujus farinæ ſunt Rad. Serpent. Virg. Contrayer. Valer. Syl., Myrrh., Aſ. fœt., Sal. Succin. Spt. Valerienſis Vol. Conf. Card. & potiſſimùm Vin. generoſ. Alb. vel Rub. cum Aromatibus digeſtum, vel uſtulatum; immò non video cur Spirit. Vin. Gal. cum Aqua dilutus, &, ſi libet, cum Spt. Vitriol. aut ſucco Limon. acidulatus, ad excitandum adhiberi nequeat. —— His internis externe adjungantur Σιναπισμοι, Veſicantia, tam Pedibus, quàm aliis partibus admota, immò nonnunquam Semicupia multum Levaminis, attulere. —— Ipſa quoque Opiata, quatenus tranſpirationem augent, Variolarum Eruptionem promovent. —— Quum Exanthematum Eruptio ob Febrem nimis ferocem retardatur, illico ſanguis ſubtrahendus, immò ſi deliria aliaque Symptomata urgent, V. S. reiteranda eſt,

quodſi verò defectus Virium Sanguinis evacuationem vetaret, Hirudines, vel Cucurbitulæ, adponantur neceſſe eſt. —— Enemata nequaquam negligenda, neque in Eruptionis, neque in ullo alio Stadio, ſed alternis tertiisve diebus durante Morbo, ni ſua ſponte ſuccedat Alvus, injicienda ſunt; ita *Rhazes:* واسهل طبيعهم متى احتاجوا الى ذلك *Alvum eorum mollem redde, quando opus eſt illis.* Licet dentur Medici, qui in omnibus Morbi noſtri ſtadiis, quoniam a mulierculis rejiciuntur, religioſiſſime ab iis abſtinent, etiamſi Alvus per integras Septimanas adſtricta ſit. O Praxin quam periculoſam! ab omnibus etiam *minimo* judicio præditis, damnandam!

Finita Eruptione, quum ob ſuppurationem contingentem Inquietudo atque Inſomnia infeſtant, υπνωτικα in Junioribus atque Adultis multum proſunt, modò cum circumſpectione in uſum trahantur, aliàs omnino nocere poſſent, hinc *Cane & Angue pejus fugienda* forent; aut papaverina adhibeantur ex mente Alzaharæ: ואם יהיה לחולי תעורה ישים בו כמחצותו כשׁבֹאשׁ: *& ſi adfuerint ægroto vigiliæ, admiſceatur dimidium ejus (nempe Dec. Hord.) Papaverum.* Poſſunt quoque loco Ανωδυνων, ſi Inflammatio gravior, Phrenitis, Angina, cum multa Pituita Fauces obſidente adſunt, attenuantia, expectorantia, ſcilicet Acet. Scillit. Gum. Ammon. cum ſubacidis vegetabilibus adhiberi. — In *confluentibus* diarrhœa ſuperveniens caute tractanda, & non, niſi violentior ſit, cohibenda, nempè ſecundùm Alzaharam: וים יהיה הטבע רך הרבה שים בו אלטבאשיר וצמג ערבי: *quodſi contra valdè laxa ſit Alvus, admiſceas illi Tabâshir & Gummi*

Ara-

Arabicum. In *diſtinctis* quoque Alvum adſtringentia cum Grano Salis adhibenda ſunt. — Πτυαλισμὸς ope Gargariſmatum leniter ſtimulantium promovendus eſt.

Junioribus non infrequens Symptoma exiſtit Urinæ Suppreſſio, aut mingendi Difficultas, in quo Caſu Clyſteres & Diluentia cum lenioribus Διουρητικοῖς, qualia ſunt Sal. Diuret. Dec. Alth. cum vel ſine Nitro, Spt. Nitri, conducunt. — Si Urina cruenta ſit, Maculæ lividæ erumpant, quæ ſunt Indicia Status humorum putridi, Tinct. Roſ. Rub. cum Ol. Vitriol. Dec. Cort. Peruv. vel Vin. Peruv. Myrrhiz. cujus deſcriptionem in fine diſſertationis dabimus, uſurpanda ſunt. De hac re hæc dixit *Rhazes:* فلنذكر الان الادوية التي تغلظ الدم وتبرده وتمنع من تعفنه وفورانه *jam vero recenſeamus Medicamina, quæ ſanguinem ſpiſſant & refrigerant, & cohibent Putrefactionem & Ebullitionem ejus.*

Hæc prohibent omnes acidæ res ut Acetum, & acidum etiam Citri.

In indigeſtis vel cryſtallinis, ubi tenuis atque acris eſt humor, & ſuppuratio bona non contingit, Vires refocillandæ, & πυογονία promovenda eſt per καρδιακα atque Vin. Per. Myr. verrucoſis autem, ſpiſſa & indurata Materie repletis, diluentia, ſubacida, lenia eccoprotica medentur. Eadem in ſiliquoſis, quæ fere Materia omni carent, conducunt.

Menſtrua intempeſtiva, quæ aliàs in πλεθωρᾳ gravidis, quum Febri infeſtantur, non raró ſuperveniunt, ſi in Variolis, modice emanarent, proſunt, modò tempore ſuppurationis non nimis large deperdantur, tunc enim periculoſum ſiſtunt Symptoma. In hoc Caſu in auxilium vocanda forent παρηγορικα, στυπτικα, Cort. Peruv. aliaque.

Febris ſecundaria, plerumque in ultimo ſtadio in confluentibus ex Tranſpiratione ſuppreſſa, ex nimia Puris abſorptione, aut ab alia quadam cauſa ſuperveniens, periculo non caret. Variolæ omnes, præprimis tamen confluentes, ſuperficiem Corporis tegunt, meatus Cutis excretorios obſtruunt, evacuationem Materiæ perſpirabilis acris impediunt, eamque ad Maſſam ſanguineam repercutiunt, quæ niſi per alia colatoria & ductus excretorios ut Renes, Alvum, excernuntur, ſtimulum intolerabilem ſyſtemati circulatorio adplicant, unde hoc in furorem abripitur, & Febris putrida generatur, aut Materia in hanc, vel illam partem deponitur, & novos ibi inducit Morbos.

Non raræ ſunt ſub Febris ſecundariæ ingreſſu Narium hæmorrhagiæ, & pulſus parvus, debilis, nunc ex copia, nunc ex inopia Fluidorum oriundus, quæ duæ ſpecies probè a ſe invicem diſtinguendæ ſunt. In *poſteriori* caſu Arteria minùs eſt plena, tenſa, dum ſanguis per eam vix motu undulatorio progreditur; in *priori* verò Canalis magnus, plenus ſentitur, & parùm ſe contrahit, & fluidum ſemper in progreſſu in Arteriæ dilatationem nititur, quæ omnia ab exercitato facile attactu percipiuntur. Si verò dubium adhuc ſupereſſet, aperiatur Vena, & dum effluit ſanguis, pulſus fit debilior, ſi ex inopia debilis eſt; ſi verò ex copia nimia Vires tantùm oppreſſæ ſunt, poſt effluvium unius alteriusve unciæ Arteria liberior, vividior micat. Pro diverſa igitur pulſus debilis cauſſa etiam phlebotomia, aceſcentia, vel & cardiaca adhibenda ſunt. Hæmorrhagiam narium tollunt Stiptica, caute tamen applicanda, vel Pul. Symphyti Maj. &c. in nares attractus.

Saliva, adhuc tenuis, limpida, nunc magis ſpiſſa, non raro.

rò ob lentorem ſuum inſuperabilem, ægrum in ſuffocationis diſcrimen adducit, in quo caſu infuſum Sem. Synap. cum Syr. Scillit. pro Gangariſmate adhibendum; ſi verò malum inde non levaretur, Aceto Scillit. vel & Ipecac. aut Tart. Emet. vomitus cito movendus eſt. Subitanea Faciei Manûmque detumeſcentia epiſpaſtica Carpis, Taliſque adponenda, Cardiaca adhibenda, aut manus & pedes in aquam tepidam immergendos, diuque retinendos eſſe, indicat.

Circa diem decimum tertium, ſubinde etiam tardius, ad decimum nonum, vel & adhuc ſeriùs, purgantia cum emolumento adhibentur. Neutiquam verò hìc ſemper tempus conſulendum eſt, ſed quam maxime ægrotantis conditione καθαρτικα adcommodanda. Præferenda tamen ſunt lenitiva, ut Mann. Sal. Cath. Glaub. Senna. Poſt ſecundam tertiam ve Catharſin etiam Calomel, prout Viribus & Ætati Ægri convenit, addatur. His ſubjiciantur dein Cardiaca, quæ ad robur deperditum reſtituendum, plurimùm valent. Ἀνώδυνα cum antiſpasmodicis, niſi dyſpnœa illud vetet, nunc conveniunt.

Ad abſorptionem Puris, εκπνοον γαρ και εισπνοον επι ολον το σωμα. Hip. Ep. VI. impediendam, ex qua oritur, nutriturque Febris, laudant Puſtularum aperturam, & abſterſionem. *Acubus aureis ulcuſcula aperire* monuit jam AVICENNA. ex mente Clar. DE HAEN *bis de die ad quatriduum aperiuntur Veſiculæ.* Notatu digna verba, quæ tranſcribantur, de hoc argumento, apud TISSOT lego: *les ſoins paroitront minutieux, & ne deviendront ſans doute jamais une pratique générale; mais je répete, qu'ils ſont beaucoup plus importants, qu'on ne l'imagine, & que dans une Fievre de Suppuration fort grave, une ouverture Générale, exacte & réitérée des Boutons mûrs, eſt le*

Remede le plus efficace, parce qu'elle óte les deux Cauſes du danger qui ſont le pus, & la tenſion de la Peau. Hic proceſſus ſine dubio magno erit emolumentò, ubi Veſiculæ ſunt vaſtiores, in minoribus enim laborioſum foret opus. ex RHAZE ſequentia huc trahimus. ينبغي ان تعقا جميع ما كان منها عظيما كبيراً فينشف ماوه يقطر خلق نظيف لبس فيه ما يخدش ويوذي *oportet ut omnes ex illis, quæ magnæ ſunt & enormes, ſcarificentur, & ut humor qui ex iis diſtillat, excipiatur panno leni mundo, in quo nil ſit, quod Cutim excoriet, vel lædat.* وان لم تكن تحته رطوبه فادهنها لتسترخي وتقع *quodſi ſubtus illas non ſit humiditas, inungito ut molleſcant, & decidant.*

Durante hujus morbi ſuppuratione, Ægri induſia, prudenter tamen & caute, ſubinde mutentur, non ſolùm quoniam gratum hoc eſt Ægro, ſed etiam hac ratione materia noxia quaſi peſtifera auſertur. Porro Aër Cubiculi ſæpe cauteque renovetur, & Æger quantocius, ſi modò Aura favet, Cubiculum relinquât.

Antequam verò hoc Capitulum finiam, non inutile erit, remedia enarrare, quibus Cicatrices fædas prævertere, & ſic ſaltem mulierculis, pulcritudinis filiarum ſtudioſiſſimis, ſatisfacere poſſit Medicus.

Varia a variis in hunc finem laudantur remedia. Optatis maxime reſpondere videntur, quæ habet Clariſſ. BRAEUNER in theſauro ſanitatis p. 13. Wann die Blattern gezeitiget / und etwa gegen den 9 oder 10 Tag anfangen in der Mitte weis zu werden / ſoll man ſie mit ſüſſen Mandel Oel / ſo ohne Feuer ausgepreſt iſt / taeglich 2 bis 3 mahl mit einer Feder beſtreichen / davon ſie ſollen Zeitigen und nicht um ſich freſſen. Auch wird zu Verhütung der Gruben in Angeſicht / und damit

mit ſolche deſto eher ausheilen / warmer Gerſten Schleim gebrauchet und damit 6/ 7/ 8. mahl des Tags das Angeſicht beſtrichen / daſs ſolches niemahl troken werde / damit zu continuiren / biſs faſt alle Blattern geheilet ſeyn. Oder wann die Blattern vollkommen gezeitiget / feuchtet man alle 2. Stunden das Angeſicht mit warmer Erbs-Bruche / welche ſehr gut thut / verhindert alle Gruben / und behaelt das Angeſicht weis; andere bedienen ſich auch des Eyer Oels mit Gerſten-Schleim vermiſchet.

Quæ plura de hoc argumento ſcire cupit, adeat *AVI-CENNAM*, *SYDENHAM*, *MEAD*, *FRIEND*, *BOER-HAAVE*, *LOB*, veriſſima enim ſunt quæ SENECA habet: *Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, nec ulli nato poſt mille Sæcula præcludetur occaſio aliquid adjiciendi.*

CAPUT SECUNDUM.

De Variolarum Insitione.

P A R S I.

De Modis Virus inſerendi & Variolas excitatas tractandi.

Quod ad primum Inſitionis Ortum attinet, in hac diſſertatiuncula mihi animus non eſt inquirendi an a populis Aſiaticis, Circaſſis, atque Georgianis ſive olim, ſive ultimis demùm temporibus in uſum vocata fuerit, parùm enim hæc mea referunt; ſed ſatius erit adnotaſſe, methodum tam bonam, tam utilem, poſt multos Annos elapſos, nobiliſſimæ *Matronæ Mariæ Wortbley Montague* exemplo, experimento in *propria Nata* Annis abhinc quadraginta capto, feliciter introductam eſſe, & nunc his noſtris temporibus, ſavente Numine, ad Terrarum Orbis fere ultimos usque Limites, niſi ubi Religio *cœca* vetat, diſperſam eſſe, & diſperſum iri.

Parùm intereſt cujus Ætatis aut Habitus ſit Corpus, ex quo varioloſa Materia ſumitur, aut quanam in Ætate Corpori admoveatur, licèt *GATTI* dicat. *L'Age le plus propre pour l'in-*

l'inoculation eſt le plus tendre. Succeſſus omnis a conſtitutione illius, cui Materia inſeritur, non verò ab eo corpore ex quo ſumitur pendet, ut multiplici Experientia edoctus ſcribo. Idem enim Virus in aliis ſæpe confluentes, in aliis diſtinctas produxit; Hanc rem in *proprio Noſocomio* ante duos Annos confirmatam vidi, quum circiter triginta Sexu, Ætate, diſcrepantes, idem Virus eâdem Horâ receperunt, & tamen Variolæ Numeris, Speciebus diverſiſſimæ adparuerunt. Interim, ſi datur optio, omnino Pus bene concoctum ſumere præſtabit. Sunt etiam, qui adfirmant Materiam *nondum penitus* ſuppuratam mitiorem eſſe.

Nec Tempus, nec Ætas, nec Corporum ante inſitionem valentium Status obſtat, nam ſenes cum lactantibus, macilenti cum obeſis, calidi cum frigidis, torpidi cum agilioribus tam Æſtate, quàm Hyeme, eodem cum felici ſucceſſu ad inſitionem apti ſunt. Interim tamen non credo tempus calidiſſimum æque ac frigidiſſimum convenire, quoniam facilius Frigus, quàm Calorem moderari poſſumus. Utcunque ſit, parùm intereſt, regulam enim generalem dare non licet, ſæpe enim fit, ut his Calor, iſtis frigidiuſcula Tempeſtas, magis conducat.

Modos varios Inoculationem perficiendi laudant, dum alii ope Chirothecarum manibus, alii ope Goſſypii, in Nares intruſi, Membranæ pituitariæ Virus admovent. Latius in præſentia eos Modos tantùm enarrabo, quos optimos inveni.

Acus, per cujus Foramen trajectum eſt Filum laneum, Virus recenti madidum, aut etiam a pluribus Annis ſiccatum, in ſede Cutis exteriori alterius tantùm Brachii, in eo loco,

ubi deltoides Humero inſeritur, transadigitur vulnere longitudinis octavæ partis Pollicis, & poſtea ea Portio fili, quæ in vulnuſculo hæret, illudque replet, abſciſſa, relinquitur, & ſi lubet Empl. Adhæſ. obtegitur; aut Acus, recenter Virus tincta, per Cutem tantùm trajicitur; aut Lanceolæ apice parum Cutis inciditur, & inter vulnuſculi Labia filum Materiâ imbutum, interponitur, aut Linteo carpto Materia varioloſa impraegnato, tangitur.

Non autem neceſſe eſt peculiarem Vulnuſculi curam habere, donec Ulcuſculum formet, quod forte circa tertium vel quartum diem, aut etiam tardius contingit, & ſufficit tunc, ut ung. digeſtivo deligetur. Mos mihi fuit tantummodo, antequam Virus inſitum eſt, Splenium Spiritu Lavend. aut Valer. Vol. madidum per aliquot temporis ſpatium Naribus admovendi.

Proximum jam eſt, ut etiam παρασκευόντα conſideremus. Quum ſubjecta ultra decem Annos nata ſunt, ſi nullum contraindicans adeſt, ſanguis ut ſubtrahatur, eademque operatio in plethoricis ſecunda, raroque in valde plethoricis tertia vice reiteretur, jubeo. In intervallis debitis purgantia lenitiva, ut Sal Cathart. Manna, & quidem bis ante inſitionem, ſemel poſt inſitionem, exhibeantur. Veſpera præcedente inſitionem propinatur doſis Colomel. Ætati congrua. Mane & Veſperi dein diebus intermediis usque ad eruptionem, ſi Symptomata illud non impediunt, parum Syr. aut Pulv. fol. *Helleboraſtri* a granis quatuor ad drachmam dimidiam, cum Cret. præparata exhibuiſſe nunquam pœnitebit, optimum enim inde ſemper vidi ſucceſſum. Multiplici Experientia edoctus ſcio, hæc contra Vermes plus Mercurio valere, & præterea in Variolis

Mer-

Mercurium non equidem magni facio. In caſibus quibusdam peculiaribus inſitionem absque præmiſſa præparatione permiſi, & id non infauſtò. Infantes, qui Ubera adhuc trahunt purgantur exhibendo Nutrici, cujus lac ſugunt, καθαρτικα. In Fœminis plethoricis quibus proxime ante Inſitionem καταμηνια fluunt V. S. non opus, ab initio usque ad Morbi finem, quantum prudentia permittit, renovetur Cubiculum, Feneſtræ tamen caute aperiantur, & Aëre in aprico, ſi Venti ſilent, favetque Sol, obambulet Æger. Nimia ſtragularum mole ne ſuffocetur Ægrotans, tempeſtive cubitum eat, tardius ſurgat, Oculos mane & veſperi Aquâ frigidâ lavet. Victus ſit ex fructibus horæis, pane, hordeo, avena, oleribus mollioribus, jusculis tenuioribus, atque carnibus facilioris digeſtionis; potus verò habetur optimus ſubacidus.

Nonnunquam, attamen rarius, quarto quintove ab Inſitione die, inflammatur Vulnus, parumque Materiæ reddit, Glandulæ ſubaxillares tumeſcunt, quæ ſunt Signa infectionis ſuſceptæ. Sexto, ſeptimo, octavo, nono &c. dein die Æger Horrores percipit, febricitat; aliaque Signa παθογνωμονικα experitur. Mane diminuitur Febris, circa Veſperam iterum exacerbatur, a decimo verò usque ad duodecimum diem incipiunt prodire Maculæ, atque Sudores largiores, parciores deveniunt. Durante eruptione circa tempus cubitum eundi Pediluvium adhibere proderit. Si Vulnus magis inflammatur, naſciturve Eſchara putrida, Cataplaſmata emollientia, aut Fotus ex Lacte tepido admoveantur, aut Lin. emolliente inungatur. Puſtulis deſiccatis plerumque renaſci incipit Ulcus, paullòque poſt remediis uſitatis conſoli-

datur. Anodyna durante maturatione, ſed non *æque* ante eam, conducunt.

Abſceſſus frequentiores ni fallor, in artefactis quàm in ſpontaneis adparent, ſed nullius Momenti ſunt, & ratione medendi congrua ſuperantur; Gaudeo hanc obſervationem confirmatam inveniſſe ab Ill. GAUBIO, qui in Act. Harlem. T. II. p. 34. Wy kregen allengskens/ inquit, over het geheele Lichaam eene menigte van allerpynelykſte Bloed Zweeren; zo dat de geheele Vet-rock aangetaſt/ doorwynt/ en in modderige ſtinkende Pap/ die met Bloed gemengt/ zig door den Huid ontlaſtte/ verandert wierd. In Variolis arte excitatis, rarius, vel valde mitem ſuccedere Febrim ſecundariam ſæpius animadverti.

Ab eruptione usque ad finem Morbi eadem ratio medendi, ac in Variolis ſpontaneis locum habet. Si verò contingeret, ut irregulariter erumperent Puſtulæ, Febris nunc deſinat, nunc iterum incipiat, cum novis rubris Maculis prodeuntibus, quæ non raro Variolas antecedunt, hæc *inexpertis* terrorem incutere poſſent, ac ſi mali Ominis forent, atque veluti de ſpecie & indole *confluentium* forent, reverà autem nullum ſubeſt Periculum, nam citò evaneſcunt, & Æger tranquillus fit. In his, ut anteà in ſpontaneis jam dictum fuit, inſultus epileptici Infantibus emolumento ſunt.

PARS

PARS SECUNDA.

De Inſitionis Utilitate.

In Principio annotandum eſt, eos, qui Contagium varioloſum per Inſitionem ſuſcipiunt, quoad maximum Numerum *diſtinctis* laborare, rarius Febrem ſecundariam experiri, mihi in Praxi extenſa per viginti Annos fere conſtitiſſe. Unum ex ſeptem circiter, qui ſua ſponte Variolis corripiebantur, perdidi, ſed ex illis, quibus inſitio Contagionem attulit, ne unum amiſi, etſi plus quam trecenti ſexaginta, vel a meipſo, dum in Chirurgica praxi & aliis, dum in rebus medicis ſolis, me exercui, vel etiam ab aliis, quorum tamen Proceſſus conſilio direxi, inoculati fuerant; neutiquam verò omnes ſine periculo, aut Symptomatibus gravioribus ſanitatem recuperarunt. Quamvis ego feliciſſimo cum Eventu inſitionem inſtitui, tamen aliis, vel *expertiſſimis*, tam exoptato cum ſucceſſu negotium hoc non evenit, & viciſſim. Plus ſimplici enim vice contingit, ut abſente judicio, effectus reſpondeat optatis, & ubi omnia ſumma cum prudentia & ſagacitate diſponuntur, ſucceſſus bonus deficiat. Succeſſus igitur, *ASYLUM IGNORANTIÆ*, medentibus æque ac in aliis ſcientiis, Judicium Medici non indicat! Plures habemus Auctores, eosque celeberrimos, qui in ſcriptis ſuis, quæ cum Orbe litterato communicarunt, inoculationem laudant, & aliis imitandam commendant. Honoris

gratia *KIRKPATRICK*, *MONRO*, *DE LA CORDAMINE*, *ANDREW*, *GLASS*, *BAKER*, *DIMSDALE* aliosque, quorum tamen laudi nihil detractum vellem, brevitatis ergo mitto.

Timoni, qui Conſtantinopolitanis per multos annos Medicinam maxima cum fama fecit, nunquam ullum ex Variolarum inſitione morientem vidit. Neſcio igitur, quid Celeberrimum DE HAEN permoverit, adſerere: *inoculatos par premere periculum.* Nonnullis, ſed hoc tempore pauciſſimis tantùm, hæc eſt opinio, quod contra alteram infectionem inoculatis nulla reſtet ſecuritas, & Auctoritati DIKERI ei dictum fuit (fortè a mulierculæ garrulantis lingua, non morbi judicis) *puellam poſt ſextam vicem varioleſcentem obiiſſe.* Pergit etiam ita DE HAEN: *tot eſſe, qui bis variolas ſuſtinent, ut pauci ſit ſecuritas, quæ ex inoculatione collegi poteſt.* Certiſſime inoculatis ſæpe erumpunt Puſtulæ ſpuriæ, quæ prima vice decipere posſunt, præſertim *imperitos*, nempe Variolis decumbentibus rarò medentes. Sed hæ valde differunt, & citò decedunt. Sæpe iis ſimiles obſervavi, & nutricibus non rarò evenit, ut, quum Infantes Variolis putridis ægrotent, ipſæ in Brachiis, Mammis, aut aliis Partibus, ubi ab Infantibus attinguntur, Puſtulas experiantur, ſed hæ parvi momenti ſunt. Memini me vidiſſe puerum, qui bis ſine ſucceſſu inſitionem ſuſtinuit, & duos alios, qui poſt ſecundam inſitionem ſecunda vice vel Variolis correpti fuere, & ni fallor, a fido audivi, poſt tertiam inſitionem variolas erupiſſe copioſius, & quidem malignos ανωμαλυς. Immo dantur exempla eorum, qui inſitionem aliquoties ſine contagio experti ſunt, & poſtea ſua ſponte Variolis correpti fuerunt. Sed hæc cum ſint rariſſima, nil contra inſitionem probant, neque Proceſſum invalidum reddunt.

Sæ-

Sæpe, experiundi cauſa, Brachium alterum eorum, qui Variolis jam laboraverant, profunde vulnerare, & multum Materiei varioloſæ, caute tamen immittere ſuaſi, ſed ſine ullo effectu. Idem dein ultimo anno, eodem modo, attamen quoque ſine effectu tentavi in *proprio Noſocomio*, a me ipſo pro *pauperibus inoculandis* fundato, prope Oppidum *Totoncſeum* (anglis *Totneſs*) in Divoniæ Comitatu, ubi habitavi. Eadem porro Experimenta in diverſis aliis, & in me ipſo, teſtibus & adjutoribus Chirurgis, inſtitui. Ex his igitur aliisque ſimilibus liquido patet, ſecundam Infectionem nequaquam eſſe timendam.

Communis eſt ſententia, rarius homines Ætatis provectioris mori, qui per totum Vitæ decurſum Variolis immunes fuerint. Sequentibus hujus opinionis teſtibus me tueor. Ipſe Rhazes, dum de hoc malo loquitur, inquit, لا يكاد يفلت منه ولا واحد *illud vix effugiat vel unus mortalium.* Riverius, *ex millibus vix unum reperire licet*, inquit, *qui ſemel ſaltem in Vita hunc effectum non patiatur*. Sennertus, hæc habet: *Variolæ omnibus hominibus adeò communes ſunt, ut vix reperiatur, qui non aliquando iis inficiatur*. Gatti tandem ſic fatur: *on convient, que presque tous les hommes ont la petite Verole une fois en leur Vie.* quid igitur plura? ſed ne hæc quidèm omnibus ſufficiunt, præſertim vero iis, qui Oculos habent apertos & tamen non vident pericula futura; quibus objiciunt, homines ſuæ curæ commiſſos. An tales Medicos homines eſſe crederes? Si tales ſunt, certe homines non agunt, de his cum Lucretio dicam:

Ve-

Veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt; ſic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ ſunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pavitant finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque neceſſe eſt
Non radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies ratioque.

Sunt dein etiam tales, qui ſibi perſuadent, non licere hominibus morbos creare? Bene, dabo hæc, ſed an non licet hominibus mala levare, mitigare? &c.

Quid facit hic Actus plusquàm lenire periclum?

ſi verò non licet levare morbum, cur dantur Medici? Aut ſi omnia tam temerè agendo æternæ neceſſitati permittere volumus, cur Cibum & Potum adſumimus? cur non

Absque Cibis longam tentamus degere Vitam,

Quàm diu? Poh, ſi non homini ratiocinari datum eſt, quid brutis diſtat? Verumtamen non volo, quid ex nobismetipſis poſſumus, ſed non! ſit Eo.

Who ſeès, with equal EYE, as GOD of all,
An Hero perish, or a Sparrow fall. POPE.

Et ut paucis dicam, ſi ſecundum CICERONEM nulla re Medicus propius ad deos accedit, quàm ſalutem hominibus dando, certe nil tam adprime ad Scopum Medici facit, quàm Inſitio, ſi enim per hanc millibus non dedit Vitam, millibus ſervabit, glo-

prolongabit eandem, & *æque pauperibus prodeſt, locupletibus æque.* Valde ſane lugendum eſt, quod Parochiæ, Provinciæ, Populi, dentur, qui ſunt ſine Noſocomiis commode ſitis, & ab oppidis urbibusque ſatis remotis, ad *indigentes*, qui mallent inſitionem ſubire, recipiendos. Primaria hujus defectus cauſa eſt, quod artis ſalutaris doctorum ſententiæ non concordent, nam tot Capita, quot Senſus, ut merito cum Plinio exclamemus: *res ardua eſt, vetuſtis Novitatem dare, novis Auctoritatem, obſoletis Nitorem, obſcuris Lucem, faſtiditis Gratiam, dubiis Fidem.*

Tandem his, quæ hactenus propoſui, ad inſitionem promovendam, & ad animos aliter ſentientium ad adſenſum ſtimulandos, hæc adjungam, nota mihi eſſe plura exempla ruſticorum, agricolarum, omnium rerum ignorantium, & hoc quidem magis, quàm putares, qui ſuis aliorumque familiis ſine ullis incommodis Variolas inoculaverunt. Tacerem potius de his, & nil dicerem, niſi hoc facerem Medicinæ peritos incitandi gratia, ut opinionibus præjudicatis valedicant. Abſit a me Vitas hominum *tali inſaniæ* ſubjicere. Sed præſtantius vitæ multorum hominum conſervandi remedium neſcio ullum præſertim quum ipſa diſpoſitio ad Variolas malignas inſitione miteſcat & minus letales ſint, ut Ill. Gaubius *l. c.* p. 369. adſerit Is ſchynt zulks (loquitur de mitiore indole, quæ etiam in malignis per inſitionem obtineatur) toe aan den veel zachteren en meer buigſaamen aart deſwelke door de Inenting van kwaadaartige ſoorten van Pokſken medegedeeld wierd. Quamvis plura a modo inſitionem dandi, quàm a judicio pendeant, nollem tamen ſuadere hunc Morbum ſine Medici aut Chirurgi periti præſentia inſtituere. Præſtat potiùs malis,

quæ certò futura ſunt, in principiis obſtare, quàm ea relinquere, donec ſumma urgeat neceſſitas, aut fortaſſis Mors immineat. Omnino dubito, quin ſint, qui dicant: pauper ſine Medico vivit, ſine Medico moriatur; *nullum Aurum*, *nullus Æſculapius*. Spero enim in Arte ſalutari nec Medicum, nec Chirurgum inveniri ullum, qui humanitati eo usque valedixerit, ùt egentibus ſuccurrere renuat. Si qui tales forent, ſane non ſunt *Hippocratici*, ſic enim apud hunc in tractatu *de decenti habitu* lego. Εν ιητρικη παντα αφιλαργυριη &c. & in *præceptis* της δε επικαρπιης μη ανευ της επισκευαζουσης προς μαθησιν, επιθυμιης. παρακελευομαι δε μη λιην απανθρωπιην εισαγειν, αλλ᾽ αποβλεπειν ες τε περιουσιην και ουσιην. οτε δε προικα, αναφερων μνημην ευχαριστιης προτερην, η περε ουται ευδοκιμιην.

Sunt etiam qui quærunt utrùm fori Medici an Chirurgi ſit Variolarum inſitio? Sed lis facilis eſt compoſitu, nam inciſionem facere, virus inſinuare vulnuſculo, atque huic poſteà manu mederi, ſine dubio Chirurgi eſt officium; ſed totum Proceſſum dirigere, Medicamina congrua præſcribere, omnino ad Medicum pertinet, idem enim erit Morbus internus, ſive Arte excitetur, ſive Natura ſua ſponte ſuperveniat.

CAPUT TERTIUM.

De Morbillorum Ortu, Indole, Cura atque Insitione.

Plurima quæ jam de Variolarum Origine diximus, etiam de Rubeolis, ſive Morbillis, valent, ut hinc non opus ſit multa de his addere. Plurimi artis doctores in hac re mecum conſentientes habeo, qui hinc etiam hæc Exanthemata uno plerùmque Capitulo proponunt. Sufficiat mihi in præſentia excitaſſe Sydenhamum, qui, *Morbillis*, inquit, *ut natura ita medendi, quam ſibi poſcit hic Morbus, ratione, cum Variolis ſatis convenit.*

Celeberrimus ille Arabs RHAZES, multa, immo forte omnia ſcitu neceſſaria, de Variolis æque ac de Morbillis, ſecundum varia Stadia delucidiſſimè deſcripſit. Ipſe tempus quo invadunt notat: وامّا اذا كان الصيف قوي الحرارة واليبس وكان الخريف حارًّا يابساً وابطا المطر جدّاً فان الحصبة تسرع الي المستعدّين لها وهم *quando autem Æſtas fuerit valde calida & ſicca, & Autumnus calidus, ſiccus, & pluviæ retardatæ admodùm, Morbilli tunc celeritèr invadunt eos, qui ad illos diſpoſiti ſunt.*

Morbilli perſæpe in eruptione Variolas indiſtinctas æmulantur, hinc non ſolùm in hoc Stadio, ſed etiam in priori, con-

tagii puto, decipere poſſunt, in ſequentibus verò diagnoſis minori premitur difficultate, & facillimè diſtinguuntur. Reverà autem ego in primis etiam ſtadiis hunc Morbum ab aliis diſcernendi tam difficile eſſe non credo, ſi modò Medicus bene attendat ad omnia ſymptomata, eaque probe perpendat, nam Tuſſis, Coryza, Oculi lacrymantes, & perpetuò tenuem copioſum humorem limpidum ſtillantes, ſigna ſunt παθογνωμονικα Morbillorum infeſtantium, hæc omnia enim in Variolis rarius, aut valde mitia, obſervantur, ſed potiùs in his ſævus Capitis, Dorſi, Lumborum dolor adeſt, hinc *Rhazes*: وجع الظهر بالجدري اخص منه بالحصبة *dolor dorſi*, inquit, *Variolis peculiaris magis fit, quam Morbillis.* والغشي والكرب في الحصبة اكثر منه في الجدري *Nauſeæ, & mœror, in Morbillis abundat magis quàm in Variolis.*

Morbilli tertio, quarto, quintove die Febri ſuperveniunt, cutis papulis, vel potiùs Maculis rubellis plùs minùs obtegitur, nunc tactu, nunc viſu tantùm ſenſibilibus. Subinde mihi veſiculis minimis, aut puſtulis pellucidis, non omnino rubris perſimiles adparuerunt. Poſt tertiam quartamve diem decedunt, & Cuticula deſquammationem quaſi ſurfuraceam cum pruritu experitur.

In Variolis poſt eruptionem Symptomata febrilia miteſcunt; in Morbillis verò non mitigantur, immo non raro in his exaſperantur, & Febris exorbitat, Δυσπνοια, Tuſſis cum aliis, decumbentes multum divexant. *In plerisque*, dicit Rhazes: ان الطبيعة تلين علي اكثر الامر في اواخر الجدري والحصبة ولاسيما في الحصبة *Caſibus alvus ſoluta eſt in declinatione Variolarum, & Morbillorum, in Morbillis præcipuè.*

In

In curatione Morbilli hoc habent ſingulare, quod ſanguis frequenter, largiterque mittendus ſit. Alvus ne ſit adſtricta, ſed per Cliſteres aut Καθαρτικα non nimis ſtimulantia, immo potiùs antiphlogiſtica, ſervetur aperta. Ita ait Rhazes: في ابتداتهما وقبل الانتهى الى ما يلين البطن فانه قد تحتاج اليه *in initio amborum* (nempe Variolarum & Morbillorum) *& ante declinationem, Ventris lenientia quodammodo ſint neceſſaria.* Ανωδυνα parce & cum acidis adhibita ſæpe, ſed non ſemper proſunt. Oleoſa, demulcentia blanda, nonnunquam, rarius tamen, Tuſſim levant. Veſicantia per longum tempus adhibita perutilia inveni. Nihil ſitim melius extinguit quàm Vinum pomaceum parciter & ſæpe ſumtum, modò ſit bonum, rite fermentatum, vel Aqua, unde Rhazes: واعلم ايضاً ان سقي الماء البارد للمحصوب اوفق منه للمجدور *ſcias inſuper*, inquit, *aquæ frigidæ potionem, illi qui Morbillis ægrotant, magis convenire, quàm Variolis laboranti.* وماء الشعير الممزوج بماء الرمان الحامض نافع جداً للمجدور وللمحصوب خاصةً *aqua hordei profectò commiſta cum ſucco mali punici acidi, laboranti Variolis, ſummè utilis eſt; Morbillis autem laboranti, præcipuè.*

Vomitum, Nauſeam, quum vehementius infeſtant, Vin. Ipecac. aut Tart. Emet. ventriculum invertendo ſæpe feliciſſime tollunt. Contra Tuſſim, quæ in hoc morbo ſæpe diu multumque fatigat, & quam ne quidem Υπνωτικα, circa veſperam data, mitigare valebant, nec quæ poſt venæ ſectiones etiam repetitas, poſt Cort. Peruv. in largis, poſt Vin. Ipecac. vel Tart. Emet. aquâ ſoluti, in parvis & continuatis doſibus adhibiti

uſum remittebat, nihil magis inveni profuiſſe, quàm Aëra apricum nec nimia raritate, nec denſitate peccantem, ſed purum, ſerenum, a domiciliis aliorum hominum diſtantem, maxime ad Maris littera obvium.

Circa initium Anni præteriti, præprimis verò tempore vernali & ingrediente Æſtate, apud Noſtrates; Domnonienſes puta, Morbilli mirum in modum inter juniores graſſati ſunt, cum ſæviſſimis Oculorum plerùmque absque Inflammationis præſentia doloribus, qui remediis aliàs in hoc caſu uſitatis minime, & ne venæ quidem pertuſioni facile cedebant. Collyria minimè adſtringentia, atque Cataplasmata cum mica panis & oleo, dolores hos valde augebant.

Morbus hic ocularis, ſubitò plerùmque inſtar Fulminis ictu indiſcriminatim & Infantes & Adultos longe lateque infeſtabat, raró ullis remediis, quamvis multivaria adhibuerim, cedebat. Tandem remedium mulierculæ cujusdam vicinæ in uſum traxi, quæ in tali malo ter, quater de die Decoct. Papav. alb. tenui Oculos lavabat, & poſteà Foliis Roſ. rub., in eodem Dec. emollitis, Palpebras obtegebat. Hæc *mulier* anteà *maritum* a dolore Lateris hôc Dec. liberaverat, & dein caſu neſcio quo, in Oculorum dolore cum optimo ſucceſſu adhibuerat. Non erubeſco cum *COO* noſtro etiam a *mulierculis* in Medicina proficere: μη οκνεειν παρα ιδιωτεων ιςορεειν, μη τι δοκεῃ ξυμφερον.

Modus procedendi in Inſitione Morbillorum non differt ab eo, quem anteà in Variolis obſervandum deſcripſimus. Unicum quod hìc tanquam peculiare quid obſervatu dignum judico, eſt, quòd fila linea, quæ ad Contagium inſinuandum adhibentur, ſanguine (materia enim rariùs invenitur) e papulis

lis morbilloſis prope finem, vel & paullò ante, tracto imbuenda ſint.

In hoc Proceſſu, nondum tam communi ac priori, omnia Symptomata obſervantur mitiora, id quod non ſemel, ſed multiplici obſervatione edoctus, certus ſcio.

Unicum reſtat, nempe ut adhuc deſcriptionem Medicamentorum, quorum anteà mentionem feci, & quæ apud *Noſtrates* Officinalia ſunt, hìc ſubjungam.

Spiritus Valerianæ volatilis.

℞. Rad. Valer. Syl. contuſ. ℥vj.
Spiritus Vin. ten. ℔iſſ.

His, per aliquot dies digeſtis, addantur
Sal. Alcal. cujùslibet ℥vj.
—— Ammon. ℥iij.
Leni igne per *retortam* deſtillando proliciatur ℔j.

Vinum Peruvianum myrrhiſatum.

℞. Pul. Cort. Peruv. opt. ℥iij.
—— Myrrh. elect. ℥ſſ.
Vin. rub. vel alb. generoſi ℔j.

Fiat digeſtio per menſis ſpatium, vaſe ſubinde agitato. Servetur ad uſum. —— Poſſunt etiam, ſi lubet, addi Aromata, vel Rad. Serp. Virg. &c.

Hæc ſunt quæ in præſentia de Variolis atque Morbillis dicenda habui. L. B. ut conatus noſtros æqui bonique conſulat, etiam

etiam atque etiam rogo, atque ſpero fore, ut ea, quæ *rectè* prolata ſunt, *ſuavitèr* accipiat.

Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus;
Nam neque CHORDA SONUM *reddit, quem vult* MANUS *&* MENS,
Poſcentique GRAVEM *ſæpe remittit* ACUTUM:
Nec ſemper feriet, quodcumque minabitur arcus.

HOR. de Art. Poët.

E X P L I C I T.

THE-

THESES.

I.

Variolæ benignæ leviores plerùmque Cicatrices relinquunt, & malignæ nunquàm bono Pure turgent.

II.

Medicus Theoriâ non imbutus ritè ac rationalitèr Praxin exercere nequit.

III.

Medicus Amicus, quùm par ſit Scientia, melior eſt, quàm extraneus. CELS.

IV.

Quo magis Practicus in præſcribendis Formulis Brevitatem ambit, eo felicior plerùmque in Curatione erit.

V.

Medicamentum non ſempèr Ægris prodeſt, nocet ſemper Sanis.

VI.

Congruum Vitæ Regimen ad Valetudinem ſecundam conſervandam plùs valet, quàm omnia Medicamenta.

VII.

Efficacia Naturæ plùs præſtat, quàm cuncta Remedia.

VIII.

In multis Morbis chronicis Corporis Exercitium præcipuum eſt Remedium.

IX.

Remedia quæcumque, licèt optima, incautè adhibita, omninò venenatam induere poſſunt Vim.

X.

Intemperantia Medicorum Nutrix.

XI.

Ventriculus inflammatus promptiſſima requirit Remedia.

XII.

Chirurgia & Medicina tàm arcto inter ſe Vinculo ſunt conjunctæ, ut una ſine alterius ſaltèm neceſſariorum ejus Fundamentorum Cognitione clarè, diſtinctèque intelligi non poſſit.

XIII.

In aperiendis Abſceſſibus Ferrum præferendum eſt omni tàm actuali, quàm potentiali Cauterio, niſi hoc peculiares quidam Caſus requiſiverint.

XIV.

Neque Abſentia Hymenis, neque Præſentia Lactis in Mammis, vitiatæ Virginitatis Signum eſt.

XV.

Uterus Tempore Graviditatis Craſſitie nèc augetur, nèc minuitur multùm.

XVI.

XVI.

Humoris Effluvium ex Utero gravido contingere poteſt absquè Abortu, & ſalvo Incrementò Fœtus ad juſtum Graviditatis Terminum.

XVII.

Circumvolutio Fœtûs (culbute) *poſt ſeptimum Menſem Rationi & Experientiæ repugnat.*

XVIII.

Effluxus Meconii ex Utero Tempore Partûs certum Fœtûs mortui Signum non præbet.

XIX.

Molas uterinas, poſt Embryonis duorum, triumvè Menſium elapſum, ex permanente in Utero Placenta oriri, valdè probabile eſt.

XX.

Inſtante Partu, naſcenti in primiparis Deſiderio Alvum egerendi, Latrinâ non eſt ſuccurrendum, monendum verò, ut pergant cacandi edere Nixûs.

XXI.

Præſtat Placentam non vi extrahere, niſi Hæmorrhagia urgeat.

XXII.

Infanti recèns nato magis conducit trahere Ubera Matris, quàm Nutricis, aùt Pulticulas ex Lacte cum Farina, vèl aliis rebus confectas, adſumere.

XXIII.

Ligaturæ Artuum, in Sanguinis uberioribus Profluviis, potiùs contemnendæ, quàm admittendæ videntur; ſaltèm iis non fidendum.

XXIV.

Supervacanea eſt Exoticorum Transportatio.

XXV.

Qualitates Plantarum, in quibus earum Vires conſiſtunt, Sapor, Odor, Color plerùmque indicant.

XXVI.

Regni vegetabilis & animalis chemica Differentia datur ferè nulla.

XXVII.

Per Fermentationem non generatur Acidum, ſed tantùm evolvitur.

XXVIII.

Nequè Putrefactio, nequè Fermentatio, nequè Efferveſcentia absquè Aëre fieri poſſunt.

XXIX.

Inflammabiles Vapores Ferri, Oleo Vitrioli ſoluti, nequè a Ferro, nequè ab Oleo Vitrioli pendere, monſtrat ſimilis Inflammatio Vaporum Zinci in Spiritu Salis communis ſoluti.

XXX.

XXX.

Mercurium vivum per admiſtum Sulphuris Phlogiſton ita extingui, ut etiam eſſentialis ejus Dos Ptyalismum excitandi extinguatur penitus, tuto & ubique concludi nequit.

XXXI.

Morbus venereus peſſimus absque Ptyalismo curari poteſt.

XXXII.

Cortex Peruvianus non ſolùm Vi Febrim fugandi, ſèd etiàm Suppurationem bonam ciendi, aliis Remediis ſæpe præſtat omnibus.

XXXIII.

In Exſpiratione non omnis Aër ex Pulmonum Textura exantlatur.

XXXIV.

Irritamenta non ſunt Cauſſæ Contractionis Fibrarum motricium, ſed tantùm Occaſiones.

XXXV.

Sanguificatio eſt Actio phyſica, ſed ex Legibus mechanicis explicari nequit.

XXXVI.

Conſtrictio Abdominis cum Faſcia non eſt tutum Hæmorrhagiam Uteri poſt Partum ſiſtendi Remedium.

XXXVII.

Diaphragma ad Reſpirationem plùs confert, quàm Coſtæ.

XXXVIII.

Cortex Salicis albæ in Vi Febrim fugandi, atquè Gangrænam cohibendi, Corticis Peruv. ſuccedaneus eſt.

XXXIX.

Injurioſi in naturam mihi eſſe videntur, qui, quoniàm Experimentis ſuis, craſſa Minerva inſtitutis, ad Præſentiam Stimuli admoti Contractiones, Criſpationes, in Partibus nonnullis non vident, iis quoque Vim vitalem, ſeù irritabilem, denegant.

XL.

Mortuos in Templis ſepelire ſæpè noxium eſſe poteſt.

EX-

EXPOSITIO

Aphoriſm. X & XI. Sect. V. HIPPOCRATIS.

In Illuſtris ac Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ Leidenſis Conſeſſu d. XVI. *Dec.* 1767. *prælecta, atque defenſa ab* EDUARDO SPRY, *M. D.*

Τμημ. ε΄. Αφορισμ. κ΄.

Οκοσοισι κυναγχην διαφευγουσιν ες τον πνευμονα τρεπεται, εν επτα ημερῃσιν αποθνησκουσιν. ην δε ταυτας διαφυγωσιν εμπυοι γινονται·

HIPPOCRATES in hoc aphoriſmo tradit προγνωσιν de eventu περιπνευμονιας, quæ ex angina prægreſſa ortum ſuum traxit, nempe ægros aut intra ſeptem dies ex tali morbo perire, aut περιπνευμονιαν in εμπυημα tranſire. Senſus horum verborum quum facilis ſit, & explicatione non egeat, meum jam erit in rationem hujus effati inquirendi. Anginam inflamatoriam, præſertim verò eam, quæ partes internas magis obſidet, ob conſenſum, qui inter laryngem atque pulmones ob membranarum continuationem, vel actionis cognationem, viget arctiorem; aut ob decliviorem pulmonum collocationem in περιπνευμονιαν ex μεταστασει materiæ reſumtæ, vel ex nova ſtagnatione ſanguinis in pulmonibus ob δυσπνοιαν ſupervenien-te, vel ex rupto abſceſſu & pure in bronchia delapſo, oriundam, tranſire poſſe, negat nemo. Id quod ſi ſemel contigerit, nova hæc inflammatio intra ſeptem dies ſuum ſibi ſuetum decurſum abſolvit & pulmones aut penitus obſtipando & immeabiles reddendo, aut gangrænam inducendo, vitæ finem facit. —— Facile quidem largior, poſſe περιπνευμονιαν etiam diſ-

cus-

cuſſione terminari, dum natura in morbis quoque actuoſa materiam per vaſa exhalantia in bronchia expellit, aut eamdem reſorbet, & per varia colatoria, ut renes, inteſtina, cutem, ex corpore amandat, vel in alium locum per μεταςασιν transponit. —— Sed hæc & ſimilia in inflammatione pulmonum ex angina oriunda ſperare non licet. Natura enim priori morbo jam fracta & viribus exhauſta, vix coctionis, evacuationis negotio par habetur, hinc aut ſuccumbit morbo penitus, aut ſaltem impetu nimio mitigato, movendo ſuppurationem, ſuccurrit. Ad πυογενεσιν enim minores vires, quam ad diſcuſſionem, requiri admodum veri ſimile eſt. Naſcitur ergo εμπυημα, quod ſenſu latiori ſuppurationem in quacumque corporis parte ſignificat, ut ſexcenta Hippocratis loca monſtrant. Hac vero ratione natura moram nanciſcitur vires iterum colligendi, ut dein per expectorationem materiam natam ſenſim ſenſimque evacuare, & ſic per partes deterere, quod uno impetu non poſſit. Si autem vomica pulmonum rumpit in cavitatem thoracis, & pus in hanc effunditur, habemus dein εμπυημα in ſenſu ſtrictiori, ad quod reſorptione curandum natura, longa morborum ſerie labefactata, plerumque impar habetur.

Τμημ. ε΄. Αφορισμ. λ΄.

Τοισι υπο των φθισιων ενοχλουμενοισιν, ην το πτυσμα οπερ αν αποβηξωσι, βαρυ οζη, επι τους ανθρακας επιχεομενον, και αι τριχες απο της κεφαλης ρεωσι, θανατωδες.

Hoc effato venerabilis ſenex *COUS* duo dat ſigna mortis inſtantis in φθισει, ex quacumque cauſſa orta. Sunt vero hæc ſigna primum odor gravis, quem ſpirat materia purulenta, tuſſi evacuata, ac prunis ardentibus injecta, & dein capillorum defluvium.

Signa hæc junctim ſumta letalia eſſe, & raro fallere, quotidiana experientia medicos medentes edocet. Nec ratio hujus rei latere poteſt conſideranti ſtatum humorum interiorem, quem hæc φαινομενα produnt. Sputa ab ægris φθισικοις rejecta, quoniam ex pulmonibus veniunt, indicant conditionem ulceris in pulmonibus hærentis. Quum igitur in prunas ardentes injecta ſputa odorem gravem, tetrum, ſpirent, compagis pulmonum ſolidæ deſtructionem, hinc oleoſarum & ſalinarum partium exaltationem, exaſperationem, ſummas eſſe oſtendunt, ſine his enim odorem fœtidum putridum naſci non poſſe χημια experimentis evincit. Verum enim vero talis ſtatus putridus in pulmonibus diu ſubſiſtere nequit, quin ocius ſerius κακοχυμιαν putridam, purulentam, ſanguini per pulmones transeunti, conciliet. Hoc autem genus corruptionis viribus vitæ brevi ſumme exitiale eſſe, experientia edocti ſciunt omnes, hinc merito de vita diutius protrahenda deſperamus; quum ſputa, talem ſtatum aperientia, rejecta videmus.

Quoniam non raro accidit, ut aliæ partes foris prodeuntes, vel materiæ rejectæ fœteant, poſſet hoc ſignum, ſigillatim ſumtum fallere, ideo aliud φαινομένον adjicit HIPPOCRATES, quod priori ſupervenire debet nempe capillorum defluvium, quod ſane ſtatum humorum, & totius corporis, deploratiſſimum monſtrat. Pilorum radices ſuum ſibi deſtinatum nutrimentum ex pinguedine, in telam ſub cute effuſa, trahere ex φυσιολογια ſatis conſtare arbitror. Simul ut ergo hæc deficit, non poſſunt non capilli ex defectu nutrimenti emori, exareſcere, cadere. Si in tabe tale quid obſervamus certi ſumus, putredinem per univerſam humorum maſſam longe lateque diffuſam eſſe, ut etiam pinguedinem eliquaverit, evacuaverit. Sub tanta autem omnium fluidorum corruptione, & etiam pinguidinis conſumtione, quam defluvium capillorum clare oſtendit, vitam in longum protrahi non poſſe, liquet. Merito ergo cum HIPPOCRATE mortem in tabe laborantibus imminentem timemus, quum ſputa peſſime olentia, & in iisdem capillos defluentes, animadvertimus.

D I X I.